
HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.

QUAESTIONES LUCIANEAE.

SCRIPSIT

MAXIMILIANUS ROTHSTEIN



BEROLINI

APUD MAYERUM ET MUELLERUM

1888.



IOHANNI VAHLENO

SACRUM.

Index capitum.


QUAESTIONES LUCIANEAE.

SCRIPSIT

MAXIMILIANUS ROTHSTEIN



BEROLINI
APUD MAYERUM ET MUELLERUM
1888.


HARVARD COLLEGE
APR 24 1889
LIBRARY.

IOHANNI VAHLENO

SACRUM.

Index capitum.

QUAESTIONES LUCIANEAE.

In Luciani scriptis, quae neque sententiarum gravitate neque magnifica et ornata oratione excellunt, sed simplicem plerumque et planum cogitandi et dicendi cursum tenere solent, ut hic illic coniectando invenire quid scriptor dicere potuerit res est minime difficilis, ita quid re vera scripserit dici non semper facile potest. Neque enim Lucianus ipse, qui multa et optima veterum scripta legit et tenacissima memoria comprehendit, in singulis ita sibi constitit aut omnibus eandem curam adhibuit, ut tuto de eius usu iudicari possit, et ipsa illa scriptoris felicissima facilitas, qua nos etiam multo magis quam aliis quae in eo laudare solent delectamur, causa fuisse videtur ut et a multis opera eius legerentur et describerentur et ii qui hoc negotio fungebantur non nimis accurate ad singula attenderent, ubicumque autem aut neglegentius describentes aut liberius tradita immutantes vel corrupta aliquo modo corrigentes a vere traditis scriptoris verbis aberrarunt, nulla paene opera ipsius scriptoris orationem ita exprimerent, ut fraudem vel errorem deprehendere admodum difficile sit. Cum igitur emendatio scriptoris certo fundamento careat, nisi prius quid vere traditum sit constet, hoc autem e variis codicum lectionibus haud raro gravissime inter se discrepantibus elegi iudicio et observatione saepe non possit, in hoc scriptore magis etiam quam in aliis primum editoris officium est ut accurate in singulorum codicum fidem inquirat. Praestitit hoc in singulis quos edidit libellis Fritzschius ita, ut semper fere in summa re recte iudicaret, sed neque omnia Luciani scripta edidit neque in iis quae edidit omnium bonorum codicum lectiones

cognitas habebat. Nunc quoque multum abest ut haec quaestio de omnibus Luciani scriptis ad finem perduci possit, de uno autem vel altero quae certo investigantur, ex iis de ceteris iudicare non licet, cum plurimi qui extant Luciani codices neque omnes eadem scripta neque eodem ordine contineant neque in singulis quae exhibent eadem fide digni sint. Sed alia via, sane molesta et taedii plena, licet totam rem non sane omnino absolvere, ita tamen illustrare ut de singulis multo minore difficultate iudicari possit. Ad ordinem enim quo singuli libelli in variis codicibus traduntur si quis accuratius attenderit, et codicum familias, quas duas esse dudum perspectum est, facile poterit rectius et certius quam adhuc factum est distinguere et, quod gravissimum est, codices e variis fontibus mixtos et interpolatos discernere ab iis qui vetus archetypum fideliter sequuntur. A corporis igitur operum Lucianeorum historia profectus quaestionem aggressus sum, idque ita, ut codices longe plurimos, quorum nullum in hac re usum esse perspexeram, ne commemorarem quidem, de singulis autem locis, quos examinavi quantum fieri poterat omnes, non disputarem nisi ubi contra ea quae de codicum ratione exposueram pugnare videri poterant. Addidi deinde alia de artis criticae in hoc scriptore restituendo legibus et in fine de quaestionibus non nullis disserui, in quas ipsa disputatione invitante incidi. Sane vel accuratissime omnibus exploratis non tollentur difficultates quibus crisis Lucianea impedita est, sed hoc praestari poterit, ut clarius appareat quibus fontibus quaque ratione utendum sit ad vetustissimam quam assequi possumus textus formam restituendam.

I.

Nullum extare codicem qui omnia Luciani scripta comprehenderet, quod et Bekkerus dixit et nuper demum pro certo repetivit Sommerbrodtius, vere fortasse dictum est si verba spectas, si rem ipsam, non est verum. Codex enim Vaticanus 90 (*Γ*) pro integro Luciani codice haberi potest. Novem libellos in illo non legi olim tradidit Massonius[1]), quem usque ad hunc diem secuti sunt fere omnes[2]). Eorum quattuor nunc etiam in codice apparent, duos, Rhetorum praeceptorem et dialogos meretricios, et scriptos olim fuisse et quo loco scripti fuerint, e numerorum singulis opusculis singulisque quaternionibus adscriptorum codicumque eorum qui proxima affinitate hunc attingunt observatione pro certo effici potest. Restant igitur tres libelli, Nero, Charidemus, Philopatris, qui neque sunt Lucianei et ab omnibus melioris notae codicibus absunt, ut non multo ante editionis principis aetatem corpori librorum Lucianeorum adscripti esse videantur. Continebat ergo codex tribus illis qui ab hac quaestione omnino secludendi sunt exceptis omnia quae sub Luciani nomine edi solent; num autem ex archetypo non minus pleno descriptus sit, dubitari potest. Scriptus est sane codex totus eadem aetate, iisdem litteris, eodem atramento, in eodem membranarum genere, et, ut videtur, ab eodem librario[3]); absoluto autem Cynico libello librarius contra morem suum litteris nondum ad inferiorem

---

[1]) Apud Reitzium praef. pag. XVIII, Jacobitzium pag. XXX.

[2]) Nuper codicem denuo inspexit P. de Nolhac, qui ne ipse quidem omnia recte de eo tradidit (Revue de philologie 1884 pag. 147).

[3]) Aliter iudicavit P. de Nolhac l. l.

schedae marginem perductis scribendi finem fecit duoque quae restabant ultimi quaternionis folia resecuit, deinde novis membranis dialogos mortuorum, marinos, deorum, quique nunc non extant, meretricios addidit. Quod non facturum eum fuisse probabile est, nisi perscripto Cynico libello negotium finitum esse putasset. Singula opuscula in hoc codice hoc ordine se excipiunt:

1) Phalaris I.
2) Phalaris II.
3) Hippias.
4) Dionysus.
5) Heracles.
6) Electrum.
7) Muscae laudatio.
8) Nigrinus.
9) Demonax.
10) De domo.
11) Patriae laudatio.
12) Macrobii.
13) Verae historiae liber I.
14) Verae historiae liber II.[1]
15) Calumniae non temere esse credendum.
16) Iudicium vocalium.[2]

---

[1] *Ἀληθοῦς ἱστορίας λόγος α΄, β΄* libri inscribuntur in classe priore, *ἀληθῶν* sive *ἀληθινῶν διηγημάτων* in secunda, quam non recte sequitur Rohdius (Der griechische Roman pag. 190).

[2] Retinui vulgatam libelli inscriptionem *Δίκη φωνηέντων*, quamquam inepta est veramque et cum re ipsa consentientem praebent codices classis prioris et huius codicis manus altera, *Δίκη συμφώνων τοῦ Σ πρὸς τὸ Τ ὑπὸ τοῖς ἑπτα φωνήεσι*, sive hoc ipsum scripsit Lucianus sive periit in fine tam longi tituli vox *δικασταῖς*, quod si accidit, Lucianus usus est eodem dicendi genere quo scripsit in Herodoto cap. 6 (I p. 12, 24 editionis Bekkerianae) *ὑπὸ νυμφαγωγῷ τᾳ βασιλεῖ*, in Harmonide c. 1 (I, 13, 18) *ὑπὸ πυκνῇ τῇ ἄρσει καὶ θέσει*, in Hippia c. 7 (I, 38, 21) *ἐπανιέναι .... ὑπὸ φωτὶ μεγάλῳ καὶ πολλῇ τῇ ἔνδον ἡμέρᾳ*, Phalaris II, 8 (I, 49, 22) *ὑπὸ γεωργῷ τῷ θεῷ*, Philopseudes 32 (I, 222, 37) *ὑπὸ πυκνῇ τῇ βάσει ἀναπηδῶντες*, Convivium 33 (I, 238, 16) *ὡς διασταῖεν ὑπὸ διατειχίσματι αὐτῷ εἰρήνην ἄγοντες*, De die nefasto 17 (II, 118, 22) *ὑπὸ πονηρῷ τῷ πρώτῳ .... κληδονίσματι*,

17) Convivium.
18) Soloecista.
19) Traiectus.
20) Iuppiter confutatus.
21) Iuppiter tragoedus.
22) Gallus.
23) Prometheus.[1])
24) Icaromenippus.
25) Timon.
26) Charon.
27) Vitarum auctio.
28) Piscator.[2])

---

ni fallor, etiam in Iove confutato c. 7 (I, 131, 32) *ὑμῖν δὲ* (deis) *ἐς ἄπειρον ἐκπίπτει τὸ πρᾶγμα καὶ ἀίδιος ἡ δουλεία γίνεται, ὑπὸ μακρῷ τῷ λίνῳ στρεφομένῳ*, ubi *στρεφομένη* legitur; neque minus alii serioris Graecitatis scriptores, Philostratus (Vita Apoll. I, 8) *ὑπὸ Ἀπολλωνίῳ μάρτυρι*, Menander rhetor qui fertur (Sp. III pag. 425, 1) *ὑπὸ σοὶ θεατῇ*, Iulianus (epist. 16) *ὑπὸ μάρτυρι θεῷ*, ut omittam alia exempla, in quibus propriam significationem magis retinere praepositio videtur. Alterum, *δίκη ὑπὸ τοῖς ἑπτὰ φωνήεσι*, etsi prorsus compar exemplum non novi, nescio tamen an defendi possit verbis libelli de mercede conductis cap. 10 (II, 128, 37), *ὑπὸ θυρωρῷ κακῶς συρίζοντι καὶ ὀνομακλήτορι Λιβυκῷ ταττόμενον*, quae non recte acceperunt interpretes. Scilicet homo Graeculus eam salutandi *τάξιν* tenet quam dedit ei ostiarius aut nomenclator. Eodem officio quo hic servi, apud praefectum Aegypti milites funguntur alio loco Lucianeo (Pro lapsu inter sal. c. 16, II, 152, 7), quem quia et ad rem illustrandam idoneus neque recte adhuc tractatus est, ita adscribam ut legendus esse mihi videtur: *Τάχα δὲ ἄν τινα ἐκπλήξειε τῶν καθ' ὀρθὸν λογισμῶν* (ita Madvigius pro *λογισμὸν* et codex E in textu, supra scripta littera *o*) *καὶ στρατιωτῶν πλῆθος* <*καὶ προσαγορευόντ*>*ων, οἱ μὲν προωθοῦντες, οἱ δὲ ἐν τῇ τάξει τῆς προσαγορεύσεως μὴ μένοντες.*

[1]) Unica huic dialogo inscriptio est *Προμηθεὺς* in codicibus quantum scio omnibus, certe omnibus quorum est in talibus aliqua auctoritas. Altera quae addi solet et additur iam in Aldina anni 1503 (de editione principe mihi non constat), *ἢ Καύκασος*, contra Luciani morem excogitata est, ut hic libellus ab altero Prometheo distingueretur.

[2]) *Ἁλιεὺς ἢ ἀναβιοῦντες* habent codices classis prioris, *ἀναβιοῦντες ἢ ἁλιεὺς* non modo Thomas Magister, cuius nulla omnino est auctoritas, sed etiam codices secundae classis omnes. Utramque inscriptionem a Luciano ipso inventam esse probabile est, cuius haud exigua ars in

29) Bis accusatus.
30) De sacrificiis.
31) Adversus indoctum.
32) Somnium.
33) Parasitus.
34) Philopseudes.[1]
35) Dearum iudicium.[2]
36) De mercede conductis.
37) Anacharsis.
38) Menippus.
39) Asinus.
40) De luctu.

---

talibus apparet; ordo etsi is quem secunda codicum classis sequitur re ipsa paulo magis commendatur, tamen maiore fide est dignus qui priore familia traditur.

[1]) *Φιλοψευδὴς ἢ ἀπιστῶν* traditur, neque tamen dubito quin Lucianus scripserit φιλοψευδεῖς. In ea enim re totius libelli, inter Lucianeos facile principis, argumentum versatur ut contra varios homines variis doctrinae studiis deditos, in fabellarum tamen ineptissimarum aestimatione consentientes, unus Tychiades suam sententiam fortiter defendat.

[2]) Dearum iudicium (Dial. deor. XX) proprio libello editum est, non minus quam Prometheus, Iuppiter tragoedus, confutatus, aliique, neque, si meliorum testium consensum ipsiusque Luciani sententiam sequimur, inter deorum dialogos, ut fieri solet, numerari debet, quos non magnitudine solum sed etiam scribendi diligentia et arte superat. Neque multo ante editionis principis aetatem videtur institutum esse ut in fine qui tunc erat horum dialogorum poneretur. Nam dialogi XXV et XXVI, qui in Vaticano 90 una cum dialogis meretriciis perierant, tum temporis seorsum tradi solebant, dialogi autem XXI—XXIV initio totius operis olim positi erant, unde postea demum avulsi sunt ut Prometheus libellus, qui in editionibus praecedere deorum dialogos solet, cum primo qui nunc est deorum dialogo, qui in eodem argumento versatur, artius coniungeretur; qua re nuper ita deceptus est Fritzschius (in editione III, 2 pag. LXIX), ut ab ipso Luciano conexum illum institutum esse crederet Bekkerique „facinus", qui inter Prometheum et deorum dialogos marinos interposuerat severissimis verbis castigaret, ne Bekkeri quidem rationes perspiciens, quem apparet non pristinum ordinem vel ab ipso scriptore institutum sed commodum ad legentium usum instituere voluisse.

41) (Rhetorum praeceptor).[1])
42) Alexander.
43) Imagines.
44) De dea Syria.
45) De saltatione.
46) Lexiphanes.
47) Eunuchus.
48) Astrologia.
49) Amores.
50) Pro imaginibus.
51) De die nefasto.
52) Deorum concilium.
53) Tyrannicida.
54) Abdicatus.
55) Peregrinus.
56) Fugitivi.
57) Toxaris.
58) Demosthenis laudatio.
59) De historia conscribenda.
60) Dipsades.
61) Croniaca.
62) Herodotus.
63) Zeuxis.
64) Pro lapsu inter salutandum.
65) Apologia.
66) Harmonides.
67) Hesiodus.
68) Scytha.[2])
69) Tragoedopodagra.

---

[1]) Periit libellus una cum fine praecedentis et initio sequentis. Periisse unum opusculum ex ipsius codicis numeris pro certo apparet, hoc maxime hic scriptum fuisse e Marciani 434 aliorumque huius classis codicum testimonio.

[2]) Scribitur in bonis libris *Σκύθιος ἢ πρόξενος*. Qua forma cum ipsum Lucianum, qui in hoc ipso dialogo *Σκύθης* semper substantiva, *Σκυθικὸς* adiectiva forma dicit, usum esse credi vix possit, hanc inscriptionem a serioris aetatis grammatico profectam esse, ipsum Lucianum

70) Hermotimus.
71) Prometheus minor.
72) Halcyon.
73) Navis.
74) Ocypus.
75) Libanii oratio pro pantomimis.
76) Cynicus.

77) Dialogi mortuorum.
78) Dialogi marini.
79) Dialogi deorum.
80) (Dialogi meretricii).[1]

Descriptus est codex *Γ* e secundae codicum familiae archetypo, saeculo ut videtur decimo[2]), eodemque vel sequenti saeculo videntur plura eiusdem archetypi apographa facta esse, quorum pars nunc etiam extat. Ut igitur appareat, qua fide codex *Γ* eum librorum ordinem qui erat in secundae classis archetypo secutus sit, horum quoque codicum ratio habenda est.

De codice Marciano 434 (*Ω*) rectius quam Sommerbrodtius egit Rohdius (Mus. Rhen. vol. XXV pag. 548), qui rectissime vidit, secundam codicis partem saeculo quinto decimo additam esse iussu cardinalis Bessarionis, qui libellos qui dèerant addendos, deinde totius voluminis

---

huic scriptiunculae, ut ceteris eiusdem generis, cui etiam Somnium fortasse tribuendum est, nihil aliud nisi *προλαλιά* inscripsisse conicere licet, quae inscriptio etiam nunc in *προλαλιά ὁ Ἡρακλῆς, ὁ Διόνυσος* apparet.

[1]) Perierunt cum ultimis deorum dialogis. Olim hic scriptos eos fuisse docet Palatinus 73.

[2]) Decimo saeculo certo tribuendus esset, si constaret de lege a Gardthauseno proposita (Griechische Palaeographie pag. 70, cfr. etiam Berichte der sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften 1877 pag. 11), qui litteras minusculas supra lineam positas certissimum huius saeculi indicium esse contendit. De duodecimo saeculo cogitavit Rohdius (Mus. Rhen. XXV, 548), undecimo quam duodecimo adscribere maluit Foersterus (in editione orationis Libanianae pro pantomimis). Aliam rationem qua Gardthauseni sententia confirmatur infra (cap. IV) exponam.

apographum (Marcianum 435) sumendum curavit[1]). Constat etiam de anno, cum is qui codicem 435 descripsit, Bessarionis iussu se hoc fecisse anno 1471 profiteatur. Unum hoc non recte iudicasse mihi videtur Rohdius, quod saeculo duodecimo scriptam esse codicis partem priorem credidit, quae mihi visa est vel ad decimum referri posse. Sed de hac re videant peritiores; illud satis constat, partis secundae, cuius etiam singulae lectiones pessime interpolatae esse solent, in ordine restituendo nullam omnino auctoritatem esse. Continet autem pars prior eadem fere opera eodemque ordine quae leguntur in codice *Γ* ab initio usque ad libellum de astrologia (48), qui in media pagina ultima finem habet, ut appareat non casu aliquo codicem mutilatum esse, sed ipsum librarium hic scribendi finem fecisse, aut ut cetera corporis Lucianei pars altero volumine comprehenderetur, aut quia in archetypo nihil praeterea scriptum invenit. Sunt autem etiam in ea parte quae in utroque codice legitur leviora quaedam quibus inter se dissentiant. Post Parasitum (33) in codice *Ω* non legitur Philopseudes libellus (34), eiusque loco perscripti sunt dialogi mortuorum (77), marini (78), deorum (79), eodem etiam in singulis dialogis ordine quo in fine codicis *Γ* leguntur, eosque excipit Dearum iudicium (35). Iam supra dixi hos dialogos non videri in archetypo scriptos fuisse; cum autem is qui codicem *Γ* scripsit eos cum dialogis meretriciis in fine totius voluminis adderet, hic librarius Dearum iudicio eos dialogos qui argumenti quadam similitudine cum eo coniuncti sunt praeposuit, qua occasione accidit ut qui in archetypo eo loco scriptus erat libellus omitteretur. Praeterea *Ω* omittit Asinum (39), Imagines (43), De dea Syria (44), in ceteris cum *Γ* consentiens. Uter codicum ubi inter se discrepant archetypi rationem accuratius secutus sit, per se diiudicari non potest. Nam in singulis lectionibus etsi in universum

---

[1]) Tetigit hunc Bessarionis morem Ritschelius, opuscul. II pag. 18.

codicis Vaticani librarius paulo maiore fide dignus est, tamen et horum codicum utrumque et ceteros secundae classis testes vetustissimos ex ipso archetypo descriptos esse veri simili est. Ceterorum autem codicum in hac parte testimonia non extant nisi paucissima.

Libri Vindobonensis (B) pars altera, quam a priore secernendam esse infra exponam, continet Fugitivos (56), quos olim praecessisse Peregrinum (55) nunc consulto deletum perquam probabili coniectura Fritzschius assecutus est, Imagines (43), Toxarim (57), Demosthenem (58), Croniaca (61). Apparet igitur hunc codicem a libro *Γ* ita dissentire ut omittat non nulla quae in illo codice hoc loco leguntur, addat autem Imagines, qua re testatur hunc libellum in archetypo non eo loco scriptum fuisse quo eum habet Vaticanus, omittit Marcianus.

Ab accurata archetypi imitatione non nihil deflexit codex Mutinensis (O), de quo nuper accuratius quam Sommerbrodtius[1]) rettulerunt Wilamowitzius[2]) et vir doctus Italus, G. Bertolotto[3]), qui saeculo undecimo codicem, recte ut videtur, tribuit. Initio codex mutilus est, ita tamen ut eadem quae in codicum *Γ* et *Ω* initio extant hic quoque scripta fuisse ex iis quae restant et e schedarum amissarum ratione effici possit. Neque in fine integer est, sed desinit in medio ultimo libello, ut reliquam codicis partem periisse certum sit. Perierunt etiam folia nescio quot paulo ante codicis finem inter Prometheum, cuius extrema pars, et Dearum iudicium, cuius initium nunc non apparet. Praeterea nihil desideratur in codice, etsi admodum male habitus est. Continet eadem opera quae habet codex *Γ* inde ab initio usque ad Prometheum (23), nisi quod levi errore omittit

---

[1]) In museo Rhenano anni 1882 (37) pag. 299 sq.

[2]) Apud Maassium, Mélanges Graux pag. 762.

[3]) Rivista di filologia 1886 pag. 52 sq. Fugit tamen et hunc et Wilamowitzium, Prometheum, quem a Sommerbrodtio omissum codici inesse uterque vidit, non usque ad finem perscriptum extare, quaeque eum sequuntur schedae, iis Dearum iudicium (praeter initium) legi.

Macrobios (12); inseruntur autem inter Iovem tragoedum (21) et Gallum (22) libelli Adversus indoctum (31), De mercede conductis (36), Rhetorum praeceptor (41), De luctu (40), De sacrificiis (30), quos hoc ordine non potuisse sumi nisi e codice classis prioris infra demonstrabo. Quot et quae opuscula post Prometheum perierint incertum est. E reliqua codicis parte nihil extat praeter schedas duas, quibus post Dearum iudicium (35) libellum Pro lapsu inter salutandum (64) perscriptum fuisse discimus, quem ordinem quo modo explicem nescio, nisi quod suspicari licet has quoque turbas ortas esse cum Dearum iudicium cum deorum dialogis nescio quo modo coniungeretur. In summa re apparet hunc quoque codicem secundae classis archetypum sequi, alienis tamen admixtis.

Difficilior etiam est quaestio de codice Florentino (*Φ*), de quo nuper egregie et verissime disputavit Vitellius[1]), qui eum e quattuor partibus compositum esse demonstravit, quarum prima scripta est saeculo decimo[2]), ceterae saeculo fere quarto decimo additae sunt ad codicem, cuius magna pars perierat, supplendum[3]). Quod autem vir doctissimus speravit fieri posse ut e quaternionum numeris diligenter ab eo enotatis aliorumque codicum comparatione plena codicis imago restitueretur, hoc praestari posse nego, quia ex ipsis illis numeris apparet, quo tempore additi sunt, partem codicis iam periisse[4]).

---

[1]) Spicilegio Fiorentino pag. 15 sq. in Comparettii museo italico antiquitatis classicae Vol. I (Florentiae 1883). Eandem rem exposuit, sed minus accurate, Sommerbrodtius in museo Rhenano 36 (1881) pag. 314.

[2]) Antiquae partis specimen dederunt Vitelli et Paoli, Collezione fiorentina di facsimili paleografici greci e latini, Florentiae 1884, tab. VIII.

[3]) Additae iam erant quo tempore huius libri parte usus est qui codicem Ambrosianum n. 208 (saeculi fere XV) exaravit.

[4]) Certissimum hoc est in ultimis quaternionibus duobus, numeris *λα'* et *λβ'* notatis, cum tamen alter desinat Demosthenis encomio nondum ad finem perducto, alter in mediis mortuorum dialogis incipiat.

Satis magna tamen codicis antiqui pars vel nunc extat, ut quem ordinem secutus fuerit, in universum appareat. Extant sive integri sive mutilati libelli Gallus (22), Prometheus (23), Icaromenippus (24), hoc ordine se excipientes, Vitarum auctio (27), Piscator (28), ita praecedentem secutus ut olim quoque statim post illum scriptum eum fuisse veri simile sit, etsi nunc alterius finis et alterius initium non apparent; Bis accusatus (29), cuius initium una cum eius qui praecedit fine servatum est, ut de ordine dubitari non possit; deinde parte codicis amissa rursus ordine continuo Adversus indoctum (31), Somnium (32), Parasitus (33), Philopseudes (34), De mercede conductis (36), Anacharsis (37). In his qua occasione omitti potuerit Dearum iudicium (35), facile apparet. Supra enim e codicibus *Γ* et *Ω* vidimus, dialogos minores[1]) non videri scriptos fuisse in archetypo, cuius rei e codice *Φ* quoque testimonium accedit; cum enim totus codex aperte secundae classis sit, pauci qui soli aetatem tulerunt mortuorum dialogi non minus aperte priorem classem sequuntur[2]), ut ex alio fonte eos petitos esse appareat. Cum autem aliquo modo toti corpori addendi essent, saepius eo loco quo Dearum iudicium scriptum erat ita inserti sunt ut propter argumenti similitudinem deorum dialogi proxime cum illo libello coniungerentur, neque minus bene fieri poterat ut contra dialogis minoribus in fine totius corporis perscriptis illud opusculum ad eorum locum revocaretur. Graviores difficultates occurrunt in ea quae sequitur codicis parte, in qua ordine non interrupto se excipiunt libellus De sal-

---

Primum qui nunc est quaternionem veri simile est olim non sextum, ut numeratur, sed nonum ab initio fuisse, veteremque codicem a Verae historiae libris initium cepisse, cetera omnia fere prorsus incerta sunt.

[1]) Hoc nomine complector dialogos deorum, marinos, mortuorum, meretricios.

[2]) Exempla facili negotio peti possunt e Fritzschii et Sommerbrodtii editionibus. Continet autem *Φ* antiquus mortuorum dialogos XV—XXVII.

tatione (45), Imagines (43), Muscae laudatio (7), Demonax (9), Pro imaginibus (50), Deorum concilium (52). Multa hic omissa sunt ex iis quae *Γ* exhibet, alia aliunde assumpta, quae ex hac ipsa re eo quo in *Γ* leguntur loco in codice *Φ* scripta non fuisse apparet. Constat igitur codicem *Φ* Imagines eo loco quo extant in *Γ* non minus omisisse quam Marcianum, omisisse autem etiam eam partem, in qua libelli Musca et Demonax in utroque codice perscripti erant. Reliquae codicis partis pauca supersunt fragmenta, e quibus Demosthenem (58) ut in *Γ* post Toxarim (57) scriptum fuisse apparet, ex ultimo quaternione, qui solos mortuorum dialogos XV—XXVII eo quo in familia priore scripti sunt et nunc scribi solent ordine continet, de libellorum ordine nihil discimus. In universum igitur dici potest, codicem *Φ* in ea parte quae celeberrima fere Luciani scripta continet in summa re cum Vaticano facere, initio autem et in ultima codicis parte (inde fere ab Imaginibus) non nihil ab eo dissentire, idque ita ut de plerisque certum iudicium fieri non possit.

Codex Harleianus 5694 saeculi decimi, de quo egerunt Thompsonus (Catalogue of ancient manuscripts in the British Museum, Pars I pag. 15, tab. 18) et Maassius (Mélanges Graux pag. 759), idem est cum Wittiano sive Marciano (E), de quo olim rettulit Solanus (apud Iacobitzium pag. XXVIII). Non est integer, eique qui secundo loco legitur libello adscribitur numerus ξ, ut quinquaginta octo libellos initio codicis periisse appareat. Neque de fine codicis constat, cum ultimus qui extat libellus in fine schedae desinat. Ea quae extant satis habeo ita significare ut pro singulis opusculis numeros ponam quibus quem locum eadem in codice Vaticano occupent indicatur. Continet autem libellos hos: 64. 65. 66. 67. 68. — 59. 60. — 36. 37. — 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. — 70. 71. Ita rem egisse videtur librarius, ut modo hanc modo illam archetypi partem describeret; singulis autem partibus, quae quidem extant, eundem qui in *Γ* est ordinem

subesse facile apparet, et confirmatur hoc codice libri *Γ* fides saepius contra Florentinum, semel contra Marcianum, cum libellum De dea Syria (44) a Marciano omissum eodem loco quo Vaticanus exhibeat. Nam quod quis suspicari possit, Harleianum a Vaticano descriptum esse, hoc verum non esse constat, quamquam paucissimae adhuc utriusque codicis lectiones ita cognitae sunt ut tuto inter se conferri possint[1]).

Codicum testimoniis accedit testis non minus antiquus, grammaticus, cuius *συναγωγὴ λέξεων χρησίμων ἐκ τῶν τοῦ Λουκιανοῦ* edita est a Bachmanno[2]) e codice Coisliniano 345, qui saeculi decimi vel undecimi esse putatur. Excerpta sunt e scholiis codicis alicuius Lucianei familiae secundae ita sumpta (si pauca postea addita omittimus), ut excerptor ordinem quo singulas *λέξεις* invenit teneret. Phalaridi nescio quo casu praemittuntur dialogi meretricii XIV et XV, ceteri afferuntur inter Deorum concilium (52) et Peregrinum (55), ubi etiam in codice recentiore, de quo infra dicam, leguntur. Reliqui dialogi minores ut in Marciano videntur scripti fuisse una cum Dearum iudicio (35), laudantur enim dialogi mortuorum inter libellos Adversus indoctum (31) et De mercede conductis (36). Ex Asino (39) nihil affertur, libellus De dea Syria (44) commemoratur eodem loco quo est in Vaticano 90, et libellus De historia (59) ante Croniaca (60), contra Imagines (43) ubi sunt in Vindobonensi, inter Fugitivos (56) et Toxarim (57), quamquam libellus Pro imaginibus (50) praecedit.

---

[1]) De saltatione cap. 47 E recte habet *ἔχει πολλὰς καὶ Ἦλις ἀφορμάς*, quem unus Gorlicensis ita sequitur ut *καὶ ἡ Ἦλις* scribat, *Γ* et *Ω* *ἔχει πολλὰς καὶ ἡδεῖς ἀφορμάς*. Cetera exempla minus certa sunt, est tamen probabile, reliquas quoque praeclaras lectiones quae codici Gorlicensi in hoc libello debentur (cfr. maxime cap. 4 et cap. 71) ex Harleiano sumptas esse. Observatione autem dignum est, his locis Harleianum verum habuisse, Vaticanum et Marcianum in iisdem erroribus consentire. Graviorem de hoc codice quaestionem, quam nunc consulto omitto, infra tractabo.

[2]) Anecdota Graeca, Lipsiae 1828, II pag. 319—348.

Ex iis libris qui ipsius archetypi apographa esse videntur, satis certo de prima archetypi parte iudicari potest. Multo minus certa res est in parte altera, in qua ad restituendum archetypum adhibendi sunt etiam recentiores libri non nulli, quamquam eorum longe minor solet esse in talibus fides, et in iis quoque multo saepius prior pars quam secunda legitur.

Codicis Palatini 73[1]) prior pars periit. Incipit nunc in medio libello De saltatione (45) et continet praeter Lexiphanem (46), qui cum praecedentis libelli fine et sequentis initio periit, eadem Luciani scripta eodemque ordine quae leguntur in codice *Γ* usque ad Scytham (68). Praeterea extat scheda una in qua pars libelli in codice *Γ* sequentis, Tragoedopodagrae, perscripta est, et ultima codicis pars, continens dialogos mortuorum, marinos, deorum, eodem etiam in singulis dialogis ordine scriptos quo leguntur in *Γ*, meretricios, Ocypodem (74). Apparet igitur ultimum opusculum non eo loco scriptum fuisse quo est in *Γ*, cetera de libellis inter Tragoedopodagram (69) et dialogos mortuorum (77) positis incerta sunt. In universum autem ita cum Vaticano consentit ut videatur ex eo descriptus esse, quod iudicium confirmatur paucis quas ex hoc codice enotavi lectionibus cum libro *Γ* comparatis, ita tamen ut intercedat apographum ex aliis fontibus non numquam correctum.

Codex Vaticanus 89, chartaceus saeculi XIV, continet omnia fere Luciani scripta eodem in universum ordine quo Vaticanus 90, ad quem etiam in singulis plerumque proxime accedit. Utrum ex eo descriptus sit necne, ex iis quidem lectionibus quas examinavi diiudicari non potest, cum summus esse soleat codicum secundae classis meliorum inter se consensus, et si quid gravius interest, quod tamen admodum raro accidere videtur, hoc ex alio fonte petitum esse possit, ea praesertim aetate qua longe

---

[1]) Egit de eo E. Rohde in musei Rhenani vol. XXV (1870) pag. 548, qui saeculi XIII eum esse iudicavit.

maxima codicum pars e variis fontibus misceri solebat. Ordinem autem si spectaveris, ex archetypi apographo a ceteris diverso eum ductum esse suspicari licet. Consentit enim cum Marciano, Vindobonensi, codice grammatici Bachmanniani contra codicem *Γ* in Imaginibus omittendis eo loco quo sunt in *Γ*, scribendis post Fugitivos (56), dissentit a Marciano et facit cum codice *Γ* in libello De dea Syria (44), qua in re libri *Γ* testimonium Wittiani et grammatici Bachmanniani auctoritate confirmatur. Schedis amissis aut transpositis quamquam satis multa damna codex passus est, ordo tamen in universum pro certo restitui potest. Prima pars plane consentit cum libro *Γ*, nisi quod primus libellus (Phalaris I) nunc non extat. Dissentire ab eo incipit eo loco quo insertis dialogis minoribus in archetypo non perscriptis in ceteris quoque secundae classis libris turbae ortae sunt. Constat autem, quamquam ea maxime parte codex mutilatus est, hunc quoque librarium in hac re diversam a ceteris viam iniisse. Posuit enim post Philopseudes (34) dialogos mortuorum (77), marinos (78), deorum (79), quique ab hoc loco in ceteris secundae familiae libris alieni sunt, meretricios (80), libellum De mercede conductis (36), Anacharsim (37) e. q. s. Singuli dialogi minores, qui quidem extant, eodem ordine perscripti sunt quo leguntur in *Γ*. Dearum iudicium (35) nunc non apparet; scriptum tamen hic fuisse veri simile est, potestque excidisse aut post dialogos meretricios aut, quod magis credo, inter dialogos marinos et deorum. In sequentibus omittuntur cum Marciano Asinus (39) et Imagines (43), inseruntur Imagines post Fugitivos (56), ut est in Vindobonensi et codice grammatici Bachmanniani, Asinus post Toxarim (57). Demosthenes (58) totus et libelli de historia (59) pars perierunt, non discrepare autem hoc loco codicem a libro *Γ* e numeris ad singulos libellos appositis discimus. Ne ultima quidem codicis pars a *Γ* dissentit, nisi quod Tragoedopodagra (69) suo loco omissa ante Ocypodem (74) inseritur, quo cum

libello ipso argumento coniuncta est. In medio Ocypode codex finem habet, ut duo qui restant libelli casu periisse videantur.

Codex Urbinas 118 et ipse est admodum recenti aetate scriptus et schedis amissis novisque eorum loco insertis maxime turbatus. Optimis tamen fontibus usum esse librarium ipse librorum ordo docet, in quibus fuisse etiam Marcianum probabile est, cum quo et in singulis paucis quas conferre mihi licebat lectionibus et in libellis Imaginibus (43) et De dea Syria (44) omittendis (quamquam in aliis ab eo discrepat) consentit. Quodsi igitur Asinum et Imagines eodem loco ponit quo sunt in Vaticano 89, et post Abdicatum (54) consentiens cum codice grammatici Bachmanniani inserit dialogos meretricios, fieri potest ut haec quoque sumpta sint e Marciani volumine altero quod nunc periit. Cetera omitto, quoniam in codice adeo corrupto neque sine molestia explicari possunt neque multum ex iis discitur.

Codicum omnium quibus usus sum comparatione apparere puto non multum de secundae classis ordine dubitationis relinqui, quamquam ab eo quem nostrae editiones sequi solent mirum quantum discrepat. De paucis quae incerta sunt ita probabiliter iudicari poterit, ut librarius codicis *Γ* Asinum et Imagines alieno loco inseruisse, cetera cum fide ut erant in archetypo tradidisse videatur.

II.

Secundae classis archetypus cum e codicibus antiquis satis multis restitui facile possit, longe difficilior res est in familia priore. Unus enim eius extat codex vetustus, hic quoque neque integer et e duabus partibus consutus. Codex Vindobonensis (B) decimi saeculi esse dicitur, recte fortasse, etsi scholio, quo res huius saeculi ineuntis tanguntur, non recte usi sunt Schubartus et Iacobitzius, cum illud etiam ex archetypo sumptum esse possit[1]). Duas autem esse codicis partes dudum observatum est, neque quemquam fugere potest, priorem partem per binas in singulis paginis columnas perscriptam esse, inde a Fugitivis scripturam per totam paginam aequaliter procedere. Huic observationi Fritzschius illud recte addidit[2]), auctoritatem etiam codicis in altera parte longe minorem esse, quae res tamen non in maiore vel minore librarii diligentia, ut videtur ille voluisse, vertitur, sed in diversis fontibus ab eo adhibitis. Nam praeter paginarum divisionem observatione etiam digna est in dialogis diversa utriusque partis in novis personis significandis ratio, quae in altera parte sollemnis est codicum secundae classis meliorum, ut colon ponatur, interstitium intercedat, in margine aut novae personae nomen primis litteris significetur aut signum aliquod ponatur, quod tamen non numquam omittitur; contra in priore parte colon poni solet, nomen novae personae non adscribitur,

---

[1]) In Iacobitzii editione I pag. XIII. Codicem saeculi decimi esse negavit Gebhardtus apud Maassium, Mélanges Graux pag. 760.

[2]) In editione III, 1 pag. X.

interstitium aut nullum est aut minimum. Idem librarius utrum variis temporibus utramque partem exaraverit an, quod mihi probabilius visum est, duo eiusdem fere aetatis, pro certo diiudicare non audeo, neque multum refert, cum de diversa utriusque partis origine constet. Ex secundae classis codice alteram expressam esse et libellorum ordo docet cum illa fere consentiens et singularum lectionum examinatio, quamquam ea minus tuto niti possumus, cum horum librorum optimi codices plerumque nondum collati sint. Contra prior pars quantum a secundae classis lectionibus discrepare soleat satis notum est, neque dubitari potest quin multa in Luciano aliter scriberentur, si integra aetatem tulisset. Nunc id quod in fine desideratur non magni momenti est; nihil enim periisse nisi Macrobiorum, ultimi libelli, finem, deletum una cum Peregrino et Fugitivorum initio, e numeris qui singulis libellis in margine additi sunt, certum est. Initio autem codicis undeviginti opuscula periisse iidem numeri pro certo docent. Iam cum summa sit huius codicis in Luciani verbis restituendis auctoritas, illud maxime quaerendum est, num extet nunc etiam alius codex aut ex ipso Vindobonensi etiam tum integro aut ex eius archetypo descriptus. Nemo tamen adhuc hanc quaestionem attigit, quamquam veri vestigia satis luculenta iam codex Gorlicensis praebere poterat, qui cum in plerisque eorum operum quae Vindobonensis exhibet cum eo conspiret, in aliis non nullis, quae nunc in Vindobonensi non apparent, optimas lectiones praebeat, hanc quoque codicis partem a libro B aut eius archetypo pendere suspicari licet. Nimis tamen multa in illo codice mixta sunt nimisque a pristino ordine recedit quam ut singula ex eo certo constitui possint. Sed extant alii prioris classis codices, sane paucissimi, qui tamen certiora docent.

Omnium vetustissimus, quos quidem novi, est Vaticanus 1324[1]), saeculo fere duodecimo ab eadem manu

[1]) Primus eius mentionem fecit P. de Nolhac, Revue de philologie 1884 pag. 147.

scriptus totus, quamquam non uno tenore eum scriptum fuisse vel ex ea re apparere videtur, quod post primam partem, quae libellos De mercede conductis, Tyrannicidam, Abdicatum, Patriam, Demonactem continet, insertus est quaternio non perscriptus. Hunc excipit alius, qui in Galii capite tertio incipit, et Gallum sequuntur Bis accusatus, Vitarum auctio, Rhetorum praeceptor, Piscator, Alexander, De luctu, Prometheus, Iudicium vocalium, Icaromenippus, Soloecista, Heracles, Electrum, Musca. Iam cum ea codicis pars quae libros inde a Rhetorum praeceptore usque ad Prometheum continet proxime ad Vindobonensem et in libellorum ordine et in singulis accedat, etiam ea quae praecedunt ex eodem fonte ducta esse probabilis est suspicio, eaque confirmatur et Marciano 436 (Ψ), in quo quattuor libelli, Bis accusatus, Vitarum auctio, Rhetorum praeceptor, Piscator, hoc ordine se excipiunt, et alio codice Vaticano, quo tota res satis commode illustratur.

Codex Vaticanus 76, admodum recenti aetate foedissime et neglegentissime scriptus [1]), continet Demosthenis et Aristidis orationes et in fine Luciani scripta non nulla. Litterarum forma est minima, minima sunt etiam interstitia inter singulas lineas relicta, quoque propius ad finem accedebat, tanto magis chartae pepercisse videtur librarius. In dialogis novarum personarum nomina a prima manu non notantur, postea demum ab eadem manu quae scholia adscripsit inserta. Ut hoc ipsum boni fontis indicium est haud contemnendum, ita ei qui ad libellorum ordinem singulasque lectiones attendet, dubium esse non poterit quin codex artissime cum Vindobonensi cohaereat. Quamquam enim in fine non nihil ab eo discrepat, cum librarius plerosque ibi libellos omiserit et ne eos quidem quos descripsit eodem ordine posuerit, in Vindobonensis parte ea quae celeberrima maxime scripta continet tam

---

[1]) Saeculi quarti decimi esse dicitur apud Fritzschium (III, 1 pag. XIII), qui unus semel eo usus est.

prope ad eum accedit ut de affinitate dubitari omnino non possit. Iam cum consensum illum cum Vindobonensi in Vaticano praecedant Luciani libelli duodeviginti, eosdem hos fere esse atque illos undeviginti quos nunc desiderari in codice B supra dixi, suspicari probabiliter possumus, eamque coniecturam veram et certam esse aliorum codicum comparatio docet. Ante eos libellos a quibus Vindobonensis nunc incipit scriptos olim fuisse Gallum, Bis accusatum, Vitarum auctionem docet Vaticanus 1324; iidem libelli eodem loco eodemque ordine leguntur in Vaticano 76, nisi quod de ultimo propter folia non nulla amissa per se non constat. Omnium proxime autem coniunctus est codex cum Gorlicensis parte ea quae continet libellos inde a quinquagesimo usque ad sexagesimum [1]. Hanc enim Gorlicensis partem, quae in fine, ubi extat Vindobonensis, apertissime cum eo consentit, apparet e libri Vaticani fonte ita sumptam esse ut librarius paucissima nescio qua causa omitteret, cetera describeret omnia nisi quae ex aliis fontibus iam antea receperat, ordinem autem plane eundem teneret quem in fonte suo invenit nihilque alienum admisceret. Totam rem optime illustrari puto tabula, quam proposui, qua singuli codices qua ratione inter se coniuncti sint alterque alterius testimonium confirmet facile apparebit.

Vindobonensis pars prior	Vaticanus 76	Pars Vatic. 1324	Pars Marc. 436	Pars Gorlicensis
(13) [2]	Verae historiae I. [3]			
(14)	Verae historiae II.			

[1]) Sequor indicem codici praemissum, quem tradidit Iacobitzius I pag. IX.

[2]) Numeris praepositis eum locum significavi quo singuli libelli scripti sunt in Vaticano 90.

[3]) Initium libelli usque ad caput 14 periit.

	Vindobonensis pars prior	Vaticanus 76	Pars Vatic. 1324	Pars Marc. 436	Pars Gorlicensis
(25)		Timon.			— (50)[1]
(31)		Adversus indoctum.			— (51)
(33)		Parasitus.			om.(=Gorl.31)
(15)		Calumnia.			om.
(16)		Iudicium vocalium.			— (52)
(19)		Traiectus.			om.(=Gorl.43)
(17)		Convivium.			om.(=Gorl.49)
(24)		Icaromenippus.			om.
(18)		Soloecista.			— (53)
(21)		Iuppiter tragoedus.			om.(=Gorl.44)
(20)		Iuppiter confutatus.			— (54)
(52)		Deorum concilium.			— (55)
(34)		Philopseudes.			om.
(22)		Gallus.	—		— (56)
(29)		Bis accusatus.	—	—	— (57)
(27)		(Vitarum auctio).[2]	—	—	— (58)
(41)	Rhetorum praeceptor.	—	—	—	— (59)
(28)	Piscator.	—	—	—	— (60)
(42)	Alexander.	—	—		
(40)	De luctu.	—	—		
(23)	Prometheus.	—	—		
(79)	Dialogi deorum.	(—)[3]			

[1]) Hic numerus et sequentes sunt codicis Gorlicensis.
[2]) Periit una cum fine praecedentis et initio sequentis libelli.
[3]) Perierunt. Etiam praecedentis et sequentis libelli paucissima nunc extant.

Vindobonensis pars prior	Vaticanus 76	Pars Vatic. 1324	Pars Marc. 436	Pars Gorlicensis
(35) Dearum iudicium.	—			
(78) Dialogi marini.	—			
(79)	Dialogi meretricii.			
(76) Dialogi mortuorum.	—[1]			
(38) Menippus.	—			
(26) Charon.	—			
(30) De sacrificiis.				
(53) Tyrannicida.				
(54) Abdicatus.				
(1) Phalaris I.				
(2) Phalaris II.				
(3) Hippias.	—			
(4) Dionysus.				
(5) Heracles.				
(6) Electrum.				
(7) Muscae laudatio.				
(8) Nigrinus.				
(9) Demonax.				
(10) De domo.	—			
(11) Patria.	Muscae laudatio.			
(12) Macrobii.	Demonax.[2]			

Ita singulos codices conferenti certum erit eum in universum libellorum ordinem nos tenere qui fuit in Vindobonensi aut eius archetypo. Singula tamen non omnia certa sunt. Vaticanus enim quamquam in ea parte

[1]) Plerique perierunt, extant tamen et primi et ultimi.

[2]) Demonacte nondum ad finem perducto codex desinit; desunt tamen paucissima.

qua cum Vindobonensi ipso conferri potest in summa re cum eo consentit, tamen sunt etiam quibus ab eo discedat, et ne in reliqua quidem parte omnia plane ita instituta fuisse ut in Vindobonensis parte erant nunc deperdita, per se certum est, cum Vaticani libri XVIII respondeant Vindobonensis libris XIX. Quae Vaticani librarius in fine a Vindobonensi deflexit, satis explicari videntur eius festinatione, quae in scribendi etiam genere apparet. Contra quod dialogos meretricios exhibet, qui desunt in Vindobonensi, eum rectius illo archetypum expressisse videri probabili ratiocinatione perspici potest. In his enim opusculis singuli dialogi vario modo in utraque codicum familia collocantur. Codex autem Vaticanus in hac re cum Vindobonensi, ubicumque uterque extat, accuratissime conspirat, neque minus codex Laurentianus 57, 51 (saec. XI), de quo infra paulo plura dicam, cum utroque facit in dialogis marinis, cum solo Vindobonensi in dialogis deorum, ut eodem fonte usum esse librarium appareat. Iam cum eadem similitudo intercedat inter Laurentianum et Vaticanum in dialogis meretriciis, quos Vindobonensis non habet, hos quoque ex eodem fonte petitos esse apparet. Illud autem dubitari poterit, num antiquitus dialogi minores in prima familia hoc loco scripti fuerint. Cum enim in secundae familiae codicibus eadem fere qua Vindobonensis aetate conscriptis eos ita inseri solitos esse viderimus ut dialogi deorum ad Dearum iudicium proxime accedant, cumque eadem ratio occurrat etiam in Vindobonensi, non constat an in hoc quoque libro aut eius archetypo eodem consilio dialogi minores ceteris opusculis e fonte primario petitis postea inserti sint.

III.

Recuperato utriusque classis ordine pristino, quorum neuter cum eo quem editiones sequi solent propius coniunctus est, licet iam utramque familiam inter se comparare, facileque apparet neque ordinem in iis esse eundem et multa legi in secunda codicum familia quae desunt in priore. Neque veri simile est casu priorem classem non integram aetatem tulisse. Paulo enim accuratius inspecta huius classis memoria videmus duas eius esse partes, quarum altera, quam littera B in sequentibus significabo, eadem opuscula eodemque ordine continens occurrit etiam initio classis secundae (1—12). Iam prior classis prioris pars (A) incipit ab eodem libello (Veris historiis), qui primus est ceterorum praeter partem B in classe secunda. Neque minus desinit prior classis in eodem libello qui ultimus est partis B etiam in secunda. Itaque neque in fine classis prioris neque initio quidquam periisse probabile est. Iam amplius utramque classem conferenti primum secernendi sunt dialogi minores (D), quos a secundae classis archetypo alienos esse et in priorem quoque postea videri illatos esse supra vidimus. Restant tres partes, B (opera quae in utraque familia eodem ordine leguntur), A (quae utrique classi communia sunt, scripta autem diverso ordine), C (opera secundae classis propria). Accuratius autem examinata prioris classis parte A apparet eos fere libellos ea contineri qui scribuntur in familia secunda inde a Veris historiis (13) usque ad Alexandrum (42), quoque magis huius partis ordo in utraque familia turbatus est, tanto acrius animad-

vertendum mihi videtur, nullum fere in secunda classe partis C libellum parti A aut partis A libellum parti C insertum esse. Neque aliter, ni fallor, hoc explicari potest nisi ut statuamus partem C in secunda quoque familia eo demum tempore accessisse quo partis A ordo iam turbatus erat, neque postquam in unum corpus coaluerunt ullas amplius graviores turbas ortas esse.

Quod autem dixi in secunda familia partes A et C ita inter se discretas esse ut alterius nihil alteri admixtum sit, hoc ita solum verum est ut extent paucissima quaedam quae contra hanc observationem facere videantur. Medii enim inter partis C libellos leguntur Deorum concilium (52), Tyrannicida (53), Abdicatus (54), et videntur, si ordinem spectas quo traduntur, secundae classis archetypo ita inserti esse ut librarius e prioris classis codice ea eligeret quae nondum receperat[1]). Tyrannicida autem et Abdicatus praecedunt in priore familia partem B et ita cum eo argumenti similitudine (continet enim haec pars sola fere scripta rhetorica) coniuncti sunt ut ad illam potius pertinere videantur, neque veri dissimile est partem B pervenisse integram in archetypum classis prioris, amissis libellis primo et secundo in archetypum classis secundae. Deorum concilium autem extra ordinem esse adsumptum concedendum est aut in archetypo classis prioris aut in apographo eo quo Gorlicensis et Vaticanus 76 usi sunt, ut videtur, ante classis secundae archetypum exaratum. Neque huius rei causa in obscuro est; praecedunt enim Iuppiter tragoedus et confutatus, quibus quam facile adhaerere potuerit similis argumenti

[1]) Inter Abdicatum (54) et Peregrinum (55) apud Bachmanni grammaticum et in codice Urbinati, quem Marciani parte ea quae periit usum esse videri supra dixi, inseruntur Dialogi meretricii, quos cur alio quam ultimo loco adiceret librarius nulla erat causa. Videtur igitur fuisse tempus cum archetypum libro De die nefasto (51) finiretur, deinde adscripti esse primum libri tres e priore familia sumpti (52, 53, 54), postea demum ceteri qui sequuntur. Sed prorsus certo haec perspici non possunt.

libellus neminem fugit. Tamen si quis suspicetur hunc libellum antiquitus in parte A traditum fuisse et casu quodam in classis secundae archetypo omissum esse, ne huic quidem coniecturae quidquam certi opponi potest. Certe ex hoc uno libello contra id quod de triginta fere scriptis observatur, nihil concludere licebit. Multo autem probabilior evadit prior sententia, si ad eos libellos attendimus qui in secunda familia leguntur in media parte A, cum in prioris memoria ea quidem quae nunc extat non appareant. Sunt autem tres, Somnium (32), De mercede conductis (36), Anacharsis (37)[1]). Atque unum quidem libellum in prioris classis codicibus nunc desiderari, quem scriptum fuisse in Vindobonensi e numeris adscriptis constat, supra vidimus. Cui accedet alter, si Deorum concilium a Vindobonensi afuisse ponimus. Subduxi autem librorum in Vindobonensi amissorum rationem ita ut Verae historiae libros primum et alterum pro duobus scriptis numerarem, ut fit in aliis codicibus non nullis; tamen nihil obstat quo minus pro uno opere accepisse eos putemus eum qui numeros in Vindobonensi apposuit. Itaque numerorum ratio non minus constabit, si hos tres libellos in Vindobonensi eiusque archetypo scriptos fuisse ponimus, et felici casu accidit ut id de uno quidem eorum alio testimonio confirmari possit. Codex enim Mutinensis, ut supra vidimus, medios inter Iovem tragoedum (21) et Gallum (22) insertos habet libros Adversus indoctum, De mercede conductis, Rhetorum praeceptor, De luctu, De sacrificiis (31. 36. 41. 40. 30), quos hoc ordine non facile potuisse sumi e classis alterius archetypo apparet. Contra facillime quattuor quidem libellorum ordo explicatur, si librarium putamus incidisse in codicem quo quis selectos quosdam libros e codice Vindobonensi aut eius archetypo ordinem

---

[1]) Omisso, ut par est, Asino, quem non eo loco quo est in Vaticano 90 videri scriptum fuisse in secundae classis archetypo supra (pag. 17) dixi.

eius secutus descripserat[1]), quod si verum est, libellum quoque De mercede conductis eodem loco invenisse putandus est.

Scio non omnia certa esse quae de singulis libris suspicatus sum, neque in talibus omnia pro certo explorare licet. Hoc unum demonstrare volui, ea quae observavi de partibus A et C etiam in secunda classe accurate discernendis, his paucis libellis, quorum ratio satis probabili coniectura explicari potest, minime posse everti. Iam igitur tot molestis et impeditis quaestionibus ad finem perductis operum Lucianeorum fata in hunc fere modum describere licet.

Extabat olim corpus operum Lucianeorum (A), quo plerique celebriores scriptoris libelli continebantur. Huic additum est et corpus librorum maximam partem rhetoricorum (B) et inserti sunt dialogi minores (D). E codice quo haec opuscula coniuncta scribebantur facta sunt duo apographa, alterum Vindobonense aut si quis codex etiam intercedit, alterum e quo ducti sunt Vaticanus 76 et pars libri Gorlicensis. Altera corporis A recensio cum eodem corpore B ita coniuncta est ut B praecederet, iisque alia opuscula Lucianea (C) addita sunt. Ita ortum est archetypum secundae classis, cuius apographis dialogi minores (D) variis modis inserti sunt.

Satis difficile est harum mutationum tempora definire, neque multa fore puto quae certo constitui possint. Archetypum classis secundae antiquiorem fuisse saeculo decimo a Photio discimus, cuius codex 128 a Phalaride incepisse videtur. Ita enim ille loquitur: Ἀνεγνώσθη

---

1) E Mutinensi contulit librum Adversus indoctum Sommerbrodtius (Mus. Rhen. 1882 pag. 301 sq.), libellum De luctu Bertolottius (Rivista di filologia 1886 pag. 47 sq.). De utroque libro difficile iudicari potest, cum optimi codices nondum collati sint; videtur tamen Mutinensis in utroque, quamquam non nulla etiam e secunda familia sumpsit, in universum tamen multo proprius ad priorem classem accedere.

Λουκιανοῦ ὑπὲρ Φαλάριδος καὶ νεκρικοὶ καὶ ἑταιρικοὶ διάλογοι διάφοροι καὶ ἕτεροι διαφόρων ὑποθέσεων λόγοι, quibus illum comprehendere aut omnia Luciani scripta aut certe celeberrima ex iis quae deinde exponit apparet. Asinum etiam ei innotuisse aliunde constat. Quod autem cum Phalaride, quem ut primum omnium librorum ab eo commemorari non mirum est, appellat etiam dialogos mortuorum et meretricios, ita facillime hoc explicari puto ut usus sit apographo, in quo dialogi minores, simili ratione ut factum est in codice *Γ*, in fine additi erant, ut memoriae firmius inhaerere possent. Certe non ipso archetypo usum esse Photium et ex ipsa horum dialogorum commemoratione apparet et ex ea re quod epigrammatis eius quod codici inscriptum fuisse tradit[1]) in iis qui nunc supersunt libris vestigium nullum apparet. Nono igitur saeculo iam extabat apographum classis secundae. Videtur autem classis secundae archetypus recentior esse classis prioris apographo eo e quo Vat. 76 et Gorl. descripti sunt, cum tres libellos ex eo sumpserit. Scriptum est igitur classis prioris archetypum non post saeculum nonum neque ante quartum, quo non antiquiores esse Macrobios, quos illud iam continebat, infra exponam. Illud etiam veri simile est, prioris classis archetypum antiquius esse ea aetate qua homo doctus partes A et D (de ceteris non constat) non solum corrigendi sed miro etiam singula variandi studio immutavit; ita certe facillime explicatur quod a priore familia non modo in libris partis A sed etiam in dialogis minoribus interpolata recensio prorsus aliena est, quae tamen seriore quidem aetate ita praevaluit ut ex secundae classis apographis, quae dialogos minores postea inseruerunt, unus Florentini librarius in eorum exemplar his interpolationibus non immutatum inciderit.

---

[1]) *Λουκιανὸς τάδ' ἔγραψα παλαιά τε μωρά τε εἰδὼς* e. q. s. (II pag. 444 ed. Bekk.)

Quam proposui de corpore librorum Lucianeorum sententiam, ea multum discrepat ab opinione vulgari, si quidem opinionem dicere licet in ea re de qua nemo fere umquam serio quaesivit aut quaerendum esse perspexit. Videntur autem plerique (quamquam Fritzschii quidem mentem assequi non numquam difficile est) ea quae de utraque codicum familia et de vitiis utrique communibus recte perspecta sunt, ita accepisse quasi constaret eadem opuscula in utraque familia ordine antiquitus tradito legi, et fieri sane poterat ut ab ipso Luciano aut non multo post eius mortem scriptorum eius editio pararetur, quae paucis alienis insertis per duas codicum classes servata est; quod tamen minime factum esse apparet. Unus, quantum scio, Volkmannus[1]), similium ni fallor in Plutarchi libris quaestionum memor, ne constare quidem monuit utrum ii codices qui omnes Luciani libros aut maximam eorum partem an ii qui singulos aut paucos continent antiquiorem memoriam tradant. Cuius doctae et prudenti dubitationi ita responderi potest, paucissima extare memoriae ab utraque codicum familia diversae vestigia, quae infra componam, illas autem familias e quattuor operum Lucianeorum corporibus eo quo dixi modo compositas esse. Ultra ut progredi ipsorumque horum quattuor corporum originem aperire liceret mihi quidem non contigit. Vel sic tamen haec res non exigui momenti est ad eas quaestiones diiudicandas quae sunt de libris vere Lucianeis falsoque ei tributis et de artis criticae in singulis libris fundamento. Neutram harum quaestionum ita ut par est per totum scriptorem tractare possum[2]); eatenus tamen de iis quam brevissime disputabo, quatenus cum ea re quam supra exposui necessario cohaerent.

---

[1]) Jenaer Litteraturzeitung 1876 pag. 148.

[2]) De libris Lucianeis et Pseudolucianeis olim certius fortasse iudicari poterit singulorum libellorum sermone diligentius quam adhuc factum est observato. Nunc hanc amplissimam quaestionem nolui

Dialogos minores omnes esse ipsius Luciani nemo nunc dubitat. Contra in quattuordecim libris qui partem B efficiunt sunt non nulli quos a Luciano alienos esse credant. Non dubitatur neque potest dubitari de ultimo libro, Macrobiis. De eo qui praecedit, Patriae laudatione, nolim confidentius loqui; nihil habet quod originem Lucianeam certo confirmet, est autem perbrevis libellus neque vitio neque virtute ita insignis ut de eo certo iudicari possit. Oratio de domo gravissimas dubitationes mihi quidem movet. Comparata cum Hippia, cui argumenti similitudine proxime coniuncta est, idem in universum habet et dicendi et res tractandi genus, ita tamen cupide usurpatum ut modum et elegantiam haud raro excedat. Huius generis sunt interrogationes rhetorice inter se oppositae[1]), eiusdem rei aut sententiae vix tolerabilis per totum libellum repetitio, neutrum abhorrens a Luciani ingenio, numquam tamen adeo supra modum frequentata, multa denique in singulis nimis inepte excogitata, quae enumerare longum neque necessarium est. Observavit tamen Bluemnerus[2]), ea quae de Andromeda narrantur (cap. 22, pag. 34, 37) simillima esse iis quae Lucianus de eadem re exponit in Dialogis marinis (XIV, 3, pag. 93, 6 sq.), ut aut eiusdem scriptoris sit uterque locus aut alter alterum imitetur. Itaque ne de hoc quidem opusculo prorsus certum iudicium fieri potest. Contra Hippiam, in quo multa vituperaverunt Wielandius aliique, multo maiore modestia et elegantia conscriptum esse puto[3]). Neque de *προλαλιαῖς* dubito,

---

incipere, quae tutius instituetur, si quando Lucianea omnia cum apparatu critico et pleno et accurato edita erunt. Vel nunc tamen optandum est ut qui de sermone Lucianeo quaerunt non omnia misceant numerisque undecumque congestis rem conturbent potius quam provehant, sed singulos libellos accurate discernant.

[1]) Cfr. maxime initium et cap. 4 (I pag. 29, 11—22).

[2]) Archaeologische Studien zu Lucian pag. 57.

[3]) Quod vocabulo *πράγματα* semel (cap. 2; I, 36, 28) male usus esse videtur scriptor, non ipsius sed librariorum culpa factum est;

Dionyso, Heracle, Electro, de quibus infra paulo accuratius agam. E quattuor *μελέταις* Bekkerus, quem Sommerbrodtius sequitur, tres, Tyrannicidam et Phalaridem utrumque scriptori reliquit, Abdicatum damnavit, cuius rei rationes me non assequi confiteor; nam etsi in talibus, quae ab usu et scholastica imitatione potius quam e singulorum scriptorum ingenio pendent, difficile est iudicare quid huius maxime scriptoris proprium sit, quid ab eo alienum, non video tamen qua causa Tyrannicida Abdicato praestet aut magis Lucianeus esse videatur[1]). Muscae encomium, libellum elegantissimum, nemo in dubium vocavit. Restat quaestio omnium gravissima de Nigrino et Demonacte, quos ipsius Luciani esse Bekkerus negavit. Non tamen eadem est utriusque libri causa. Nam Nigrino, ut omittam multa in eo apparere et in sententiis et in oratione quae Luciani ingenium apertissime redolent, praemissa est epistula ipsius Luciani nomen prae se ferens. Itaque aut ab ipso Luciano scriptus est aut a falsario fallendi studio et consilio, cuius rei ne vestigium quidem apparet. Tali testimonio caremus in Demonacte; quod enim Eunapius Luciani esse librum credidit, cui rei multum tribuit Fritzschius, eo nihil probatur nisi admodum mature librum Lucianeis adhaesisse clarique scriptoris nomine defensum aetatem tulisse, quod per se quoque veri simile est. Et sunt sane quae originem Lucianeam commendare possint, maxime temporum observatio et philosophandi genus a sectarum contentionibus alienum, denique ipsa cum Nigrino comparatio. Sed et genus dicendi et scriptoris ingenium a Luciano quam maxime abhorret. Numquam

---

neque enim dubito quin voluerit *ὁπόσοι ἐπὶ τῇ θεωρίᾳ λαμπροὶ γενόμενοι καὶ μνημόσυνα ὅμως τῆς τέχνης καὶ παραδείγματα τοῖς μετ' αὐτοὺς κατέλιπον.*

[1]) Quod Abdicatum inter Libanii scripta legit Macarius Chrysocephalus (Villoison, Anecdota Graeca II pag. 12, Foerster in Fleckeiseni annalibus anni 1876 pag. 210), ea re nihil probatur, cum praesertim Luciani codicibus interpolatis usus esse ille videatur.

apud Lucianum, qui auditorum iudicium et eruditos lectores spectare solet, occurrit adeo nativa neque imitatione quaesita dicendi neglegentia, ita candida et vera narrandi et admirandi simplicitas, qua hic libellus omnes Lucianeos neque solum Lucianeos longe superare mihi videtur[1]). Certe Nigrinum si cum eo compares, facile

[1]) Apparet quantum absim a Sommerbrodtii sententia, qui de hoc libro iudicavit „stümperhafte Charakteristik wie die des Demonax" (editio librorum selectorum I pag. XVIII), neque profecto multi eam probabunt qui curiosius totum libellum perlegerint aut saltem ultima eius capita, quibus pulcherrima senis philosophi describitur imago, cuius virtutes merita veneratione etiam indocti et pueri prosequuntur. Neque minus perversa sunt quae praeterea de hoc libro retractato aut mutilato satis mira prolata sunt. Quae sane apparet in rebus digerendis neglegentia, ea optime scriptoris moribus et consilio convenit, de quibus ut satis certo iudicari possit cum multa alia faciunt tum ea ratio qua in significandis hominibus de quibus agit uti solet, velut *τοῦ δὲ Σιδωνίου ποτὲ σοφιστοῦ* (c. 14), *τὸν δὲ κυνικὸν ἐν ἄρκτου δέρματι φιλοσοφοῦντα* (c. 19), ubi *τὸν* post *κυνικὸν* videtur inserendum esse, *Ῥουφῖνον τὸν Κύπριον, λέγω δὲ τὸν χωλόν, τὸν ἐκ τοῦ περιπάτου* (c. 54), *ἤκουσα δὲ αὐτοῦ ποτε καὶ πρὸς τὸν τῶν νόμων ἔμπειρον ταῦτα λέγοντος* (c. 59), quae solis Atheniensibus neque dicendi facultatis ostentandae causa scripta esse apparet. Nihil certius est quam ita in summa re scriptum esse libellum ut traditur, neque mutari posse in eo nisi levissima quaedam, haec quoque diu plerumque correcta. Quibus addo cap. 17 (II, 313, 38) deletis verbis *τοῦ δακτυλίου δεσπότης* videri scribendum esse *ἠξίου τὸν ἀπολέσαντα ὅστις εἴη ἥκειν καὶ .... ἀπολαμβάνειν*, ubi neque Herwerdenus (Mnemosyne VII, 356) neque Paetzoltius (Observationes criticae pag. 5) recte iudicarunt, ego non magis orationis abundantia quam omisso articulo offendor; bis copulam perperam insertam esse, cap. 23 (II, 314, 24) in verbis *ὡς ὑπ' αὐτῶν ἅπαντας ἀναπείθειν [καὶ] παρέχειν αὑτῷ*, ubi minus bene *ἀναπείθεσθαι* scripsit Fritzschius, verum vidit Hartmannus (Studia critica pag. 31), et cap. 38 (pag. 315, 40) *πρεσβύτου δέ τινος Ῥωμαίου εὐσωματοῦντος [καὶ] τὴν ἐνόπλιον αὐτῷ μάχην πρὸς πάτταλον ἐπιδειξαμένου*, fortasse etiam cap. 11 (pag. 312, 26) *πρὸς ἅπερ .... στεφανωσάμενος καὶ καθαρὸν ἱμάτιον ἀναλαβὼν [καὶ] παρελθὼν .... ἀπελογήσατο*; c. 44 (pag. 316, 17) scribendum esse *Ἀδμήτῳ δέ τινι, ποιητῇ φαύλῳ, λέγοντι γεγραφέναι μονόστιχον ἐπίγραμμα, ὅπερ ἐν ταῖς διαθήκαις κεκελευκέν⟨αι⟩ ἐπιγραφῆναι αὐτοῦ τῇ στήλῃ*, non „sine controversia" plusquamperfectum, ut nuper visum est Schwartzio (in Mnemosynae vol. XIV pag. 213). Dubito de *μᾶλλον* pro *μάλιστα* dicto (c. 13 pag. 313, 14)

apparebunt colores rhetorici quibus totus hic libellus, etsi hic quoque non ultimum inter Lucianeos locum obtinet, distinctus et infucatus est[1]). Brevitas quoque scriptoris quodque Demonactis dictis nihil de suo admiscet, satis certum originis non Lucianeae indicium est, maxime in iis rebus in quibus perstringendis quam multus esse hic scriptor soleat sciunt qui eius opera legerunt, philosophorum superbia et altercationibus, superstitione, sepulturae sumptu aliisque (cfr. cap. 19. 23. 24. 27. 37. 48[2])).

Iam, ut summam faciamus, habemus e quattuordecim libris decem continuo ordine scriptos quorum nullus in iustam dubitationem incurrit; eos excipiunt quattuor, quorum primus et quartus certo non sunt Lucianei, secundus gravissimas dubitationes movet, de tertio nihil omnino constat. In decem autem illis libris iustum ordinem agnoscimus ita ut haec pars videatur olim rhetorica solum scripta continuisse, quattuor *μελέτας*, unam laudationem, tres *προλαλιάς*, unam laudationem lusoriam. Huic collectioni operum rhetoricorum adhaesit primum Nigrinus, libellus et ipse Lucianeus, deinde propter argumenti similitudinem alii.

Partes prima et tertia cum eundem fere librorum numerum contineant, alterius quinque alterius quindecim a Luciano alienos esse iudicavit Bekkerus. Itaque etiam si huius viri sententiam sequimur, quem tamen

---

et de *τὸν ἑαυτοῦ* pro *τὸν σεαυτοῦ* (c. 17 pag. 314, 4), quorum in Luciani quidem scriptis neutrum puto tolerandum esse. De toto libello eiusque ultima parte egregie iudicavit Wielandius in versione (III pag. 259 et 261).

[1]) De Nigrino recte iudicavit Zellerus in historia philosophiae Graecae III, 1_3 pag. 822.

[2]) Demonactem esse Lucianeum negavit etiam Bernaysius (Lucian und die Kyniker pag. 104), cuius sane argumenta non omnia probo. Illud tamen recte negavit veri simile esse, Lucianum Herculem illum Boeotium ita admiratum esse ut proprium librum de eo scriberet, cum praesertim Marathonis herois filius esse diceretur aliaque inepta et superstitiosa de eo crederentur (Philostr. vit. soph. II, 1, 7).

nimium fuisse in hac re mihi persuasum est, quanto maior sit fides partis A apparet. Sed accuratius his quinque libellis examinatis nullum inter eos esse inveni qui prorsus certis argumentis excludi possit. Omnium maximas dubitationes movet Soloecista, qui sane cum Lexiphane, similis argumenti libello, comparatus auctoris videtur esse multo minus bene in dialogis componendis et hominum moribus depingendis versati; sed ne in iis quidem de quibus nemo dubitat eadem semper scriptoris ars in talibus apparere solet[1]). Contra in Parasito, libellis De sacrificiis, De luctu, De calumnia identidem perlectis iustam dubitandi causam non invenio. Parasiti sane facetiae non nimis placent, neque tamen ita comparatae sunt ut Luciano tribui non possint. Libelli de luctu et de sacrificiis ita cum libris certo Lucianeis etiam in singulis consentiunt ut non possint non aut ab ipso Luciano aut eum imitandi causa conscripti esse, imitationis autem vestigia nulla apparent[2]). In commentatione de calumnia, cui sane similis inter opera Lucianea non extat, multa mihi videntur egregie et subtiliter, quamquam paulo fusius, exposita esse, ut iis certe non assentiar qui

[1]) Praeter Soloecistam de Menippo quoque non sine causa dubitasse mihi videntur viri elegantissimi iudicii, Solanus, Wielandius, Iacobsius, neque quidquam contra eos profecit Fritzschius iis quae disputavit III, 2 pag. LVI. Certum hoc puto, Menippum imitatione ex Icaromenippo aliisque scriptis Lucianeis non nimis bene expressum esse; nescio tamen an credi possit ipsum scriptorem, quem non omnia pari cura tractasse easdemque sententias, ne per se quidem nimis graves, usque ad fastidium repetere solitum esse saepius observare licet, cum uno libro plausum auditorum excitasset, eodem invento ad alium componendum usum in eaque re solito etiam neglegentius versatum esse. Fritzschii rationes, quibus ille utriusque libri tempora definire conatus est (II, 1 pag. 159 et III, 2 pag. LVI) sciens praetermitto.

[2]) Sententiae quae his libellis proferuntur non tam christianae sunt, ut erat qui crederet, quam Menippeae, et tam prope accedunt ad Iovem confutatum, ut haec tria opuscula eadem aetate scripta esse videantur, qua Lucianus proprio illo scribendi genere quod in celeberrimis eius scriptis apparet nondum utebatur.

propter argumentum hoc opusculum Luciano indignum esse statuunt. Dicendi autem genus in his libellis ab eo quod in aliis Lucianus sequitur non abhorrere videtur nisi quantum interesse inter dialogum et commentationem necesse erat[1]). Ea tamen est harum quaestionum ratio ut argumentis omnino certis uti rarissime liceat, neque negaverim fieri potuisse ut vel antiquissimo operum Lucianeorum corpori aliena admiscerentur. In summa re tamen apparet hoc corpus optima fere et celeberrima Luciani scripta complecti neque e melioribus in eo desiderari nisi paucissima. Ordo autem librorum in utraque familia ita diversus est ut qualis antiquitus fuerit erui non possit. Suspicari tantum licet e tenuissimis vestigiis olim secundum litterarum ordinem libros dispositos fuisse. Nam a Verae historiae libris utraque classis incipit, et qui soli praeterea eodem ordine in utraque familia se excipiunt, Calumnia et Iudicium vocalium, incipiunt ab eadem littera. Sed haec incerta sunt neque quidquam constat nisi ordinem pristinum aut in alterutra familia aut in utraque mirum in modum conturbatum esse.

Partem C nullo certo consilio esse compositam vel ex ea re apparet quod libellus Pro imaginibus ante ipsas Imagines legitur, et ita videtur orta esse ut unus vel plures viri docti corpori librorum Lucianeorum eos adderent quos Lucianeos esse sibi persuaserant nequedum

---

[1]) Hellerus (Absichtsätze bei Lucian, in Symbolis Ioachimicis I p. 289) observavit *ἵνα* sensu consecutivo apud Lucianum non dici nisi in libello de luctu cap. 19 (II, 415, 35) *οὐδ' ἐπιλέλοιπεν ἡμᾶς ὁ ἀσφόδελος, ἵνα παρ' ὑμῶν τὰ σιτία μεταστελλώμεθα.* Comparari tamen possunt verba Nigrini (cap. 30, II, 307, 26) *ὅτι μίαν φωνὴν οἱ Ῥωμαίων παῖδες ἀληθῆ παρ' ὅλον τὸν βίον προίενται (τὴν ἐν ταῖς διαθήκαις λέγων), ἵνα μὴ ἀπολαύσωσι τῆς σφετέρας ἀληθείας.* Hoc enim, ni fallor, voluit scriptor: Unam in testamentis vocem, e qua nihil amplius timendum est. Verbo *θρησκεία* praeter librum de sacrificiis (cap. 10, II, 419, 38) Lucianus usus esse non videtur; est tamen sumptum ex Herodoto, quem Lucianus ut omnes illius aetatis eruditi studiose legit, neque singulis huius generis observationibus in hoc scriptore multum probari posse puto.

receptos esse videbant. Deorum concilium, Tyrannicidam, Abdicatum videri additos esse e codice classis prioris supra exposui, ceterorum fontem ut indagarem mihi non contigit. Satis multa tum temporis opuscula vere Lucianea etiam seorsum a corporibus A, B, D ferebantur, quorum non nulla, de quibus dubitari non potest, in partem C recepta sunt. Neque tamen mirabimur potuisse fieri ut hoc modo et interirent opera vere Lucianea (quamquam hoc utrum re vera factum sit necne sciri omnino non potest) et immiscerentur aliena. Nimis multa tamen hic quoque seposuisse Bekkerum demonstrari in non nullis potest. Luciani esse Imagines et earum defensionem pro certo dici potest, quia Lycini persona utitur scriptor, quod facere poterat aut Lucianus ipse aut falsarius eius nomen simulans, talem autem extitisse anno 162 non magis credi potest quam recentioris aetatis sophistam aliquem totam rem finxisse ita ut cum Panthea componeret Lucianum non eum qui in provectioris aetatis scriptis apparet, sed rhetorem nulla re insignem. Similis condicio est libelli De dea Syria, in quo Luciani patria adeo aperte indicatur (cap. 1 et 60), ut, si esset non Lucianeus, fingendus esset imitator imitatus Lucianum imitantem Herodotum. Quae autem ad hunc libellum et ad opusculum De astrologia de dialecto monuerunt, quam rem cur credamus diligentius quam cetera solet tractasse Lucianum non video, iis non plus probatur quam eo quod superstitionem quae in utroque libro apparet a Luciani ingenio abhorrere putaverunt, cum tamen fictum hoc quoque esse ad Herodoti exemplum et per se appareat et dudum observatum sit, neque minore iure offendas in Verae historiae libris, quorum comparatione libellus de dea Syria optime illustratur. Denique de Toxaride addo, iis quae de libelli sermone diligentissime observavit Guttentagius[1]), plane contrarium

[1]) De subdito qui inter Lucianeos legi solet dialogo Toxaride, Berolini 1860.

mihi videri demonstrari eius sententiae quam ille Bekkerum secutus probare voluit. Ex iis qui restant libellis propter dicendi genus a Luciano alienum aut alias causas certo excludendi mihi videntur Asinus, de quo infra accuratius agam, Amores, Demosthenes, Tragoedopodagra, Halcyon, Ocypus[1]), Oratio pro pantomimis, quae Libanii esse traditur, Cynicus[2]).

---

[1]) Hoc certum est, non recte his ipsis diebus a Tragoedopodagrae et Ocypodis observatione Kockium (in museo Rhenano anni 1888 pag. 30) ita profectum esse quasi nemo umquam de Luciano eorum auctore dubitasset, quamquam in eius disputatione alia etiam insunt et graviora quae probari non possint. Utrumque libellum apte comparavit Sieversius in vita Libanii (pag. 139) cum comoedia, quam de podagra scripsit et Libanio amico misit Acacius (Liban. epist. 1380), qua ex re illud certe disci potest, huius generis lusus illa aetate excogitari potuisse; ipsam illam comoediam eandem esse cum Ocypode conici saltem potest, cum Libanius, postquam illius comoediae mentionem fecit, ita pergat: *Ἐγὼ δὲ οὐχ ὡς οἴει τὸν νόμον ὑπερπεπήδηκα τὸν τῶν ἄρτι δεξαμένων τὴν βασιλίδα ταύτην*, scilicet ut morbi naturam dissimulent, qua in re Ocypus versatur totus. Neque minus quae in fine epistulae scribit *ἡμεῖς δὲ γενόμενοι χορὸς (ἐσμὲν δὲ πλείους ἢ καθ᾿ ὅσους ὁ κωμικὸς), ὑπὸ σοὶ κορυφαίῳ τιμήσομεν ᾠδαῖς τὴν ἐρῶσαν τῶν ποδῶν* ad Tragoedopodagram pertinere possunt.

[2]) De Cynico nuper dubitationem movit Wendlandius (Quaestiones Musonianae pag. 18 sq.), qui contra Bernaysium (Lucian und die Kyniker pag. 105) saeculo altero librum scriptum esse contendit. Sed ad argumenta a Bernaysio prolata, dicendi exilitatem et iudicium scriptoris de Cynicis ab odio quod in libris vere Lucianeis apparere putat diversum, quorum ut neutrum fortasse ad rem diiudicandam sufficere concedo, ita utrumque minime contemnendum esse videtur, accedunt alia etiam firmiora. Lycini personae, qua alibi Lucianus ita uti solet ut ipsius scriptoris sententiam defendat, hic scriptor ea tribuit quae ab adversario refutantur. Auctoritate autem sciendum est eum qui Luciano hunc libellum tribuit niti non multo maiore quam nulla, cum liber sit omnium extremus (praeter dialogos minores) in codice Γ et videatur (quamquam certo demonstrari res nunc vix poterit) ab archetypo classis secundae non minus afuisse quam quae praecedit Libanii pro pantomimis oratio. Iam qui Lycini personam a Luciano sumpsit, eum vixisse certum est non saeculo altero, sed ea aetate qua

Accedo iam ad quaestionem de rationis criticae in singulis Luciani libellis fundamento hic quidem brevissime tractandam, quam aliquatenus pendere ab iis quae de corpore librorum Lucianeorum observavi sponte apparet. Primae et quartae partis, de quibus infra accuratius agam, eadem fere est condicio, cum utriusque duo recensiones servatae sint; probe autem ab iis discernenda sunt quae de partibus secunda et tertia perspici possunt. Ac de parte B quidem iudicare admodum difficile est, cum ad plerosque libellos codices secundae classis non collati sint nisi pessimi. Apparet tamen non multum interesse inter utriusque classis memoriam, et videtur secunda familia priore in huius partis libris certe non deterior esse. Neque diversa est ratio Nigrini, ad quem unum apparatus satis amplus iam congestus est. Unum autem in hoc libello maxime est animadvertendum, quod de secunda codicis *Γ* manu, de qua infra fusius mihi agendum erit, traditur. Cap. 27 (II, 307, 8) narratur Nigrinus non probasse philosophorum morem, qui laboribus et patientia iuvenum corpora exercere solebant, *τοῦτο μὲν οὐ δεῖν οἱ πολλοὶ κελεύοντες, ἄλλοι δὲ μαστιγοῦντες, οἱ δὲ χαριέστεροι καὶ σιδήρῳ τὰς ἐπιφανείας αὐτῶν καταξύοντες*. In his ferri non posse *οὐ δεῖν*, quod codices utriusque classis meliores habent omnes, apparet. Librarius codicis Vaticani 87 more suo negationem delevit ut difficultatem minueret, Madvigius ad sententiam apte coniecit *νηστεύειν*. In codice *Γ* autem invenit Studemundius a correctore in margine adnotatum *ἀνυποδητεῖν*[1])

Luciani orationem admirari solebant, neque video, cur illa aetate non potuerit homo doctus veterum libros secutus Cynici imaginem describere, quamquam ne hoc quidem recte negari potest multo post Luciani aetatem extitisse qui Cynicae vitae praecepta ipsi sequerentur (cfr. Zelleri historiam philosophiae graecae III, 1_3 pag. 775).

[1]) Mero errore videtur factum esse ut *ἀνυποδητῖν* (sic) legisse Studemundium traderet Sommerbrodtius in Lucianeis pag. 132. Certe hoc non consentit cum iis quae et ipse in utraque editione dixit et Fritzschius.

i. e. ἀνυποδητεῖν, quod merito recepit Sommerbrodtius, neque quisquam non videbit verum illud esse neque facile potuisse coniectura inveniri. Quae cum ita sint, non aliter iudicabimus de verbis cap. 17 (II, 304, 14) ἤ τί καὶ πρᾶξαι διέγνωκας, ubi idem Sommerbrodtius nuper πρᾶξαι pro codicum omnium lectione πράξειν scripsit secundum alteram libri *Γ* manum. Praestare videtur ὑπειληφὼς manus secundae pro prioris et ceterorum codicum lectione διειληφὼς cap. 26 (II, 306, 30), illud quoque iure receptum a Sommerbrodtio in editione priore; contra interpolatum est παρερχομένοις pro παραγγέλλουσι cap. 24 (II, 306, 12). Constat igitur hunc correctorem in his quidem usum esse fonte ab utraque codicum qui nunc sunt familia diverso. Quae res utrum ad solum Nigrinum pertineat an ad omnes partis B libros, in qua non multum inter utramque familiam interest, nescio; hoc certum mihi videtur, ex iis quae de hac parte observare licet nihil de ceteris libris Lucianeis effici.

Transeo ad partem C, quam in sola secunda familia servatam esse supra exposui. Quod si verum est, non potest in huius partis scriptis ea diversitas occurrere quam intercedere inter partium A et D utramque classem constat. Sane cum codex archetypus classis secundae non extet et eorum quoque qui aetatem tulerunt optimi plerumque nondum collati sint, non mirabimur hic quoque haud raro in diversas partes abire varios codices, hoc tamen alia ratione fieri expectabimus quam fit in utraque earum recensionum quas in partibus A et D utraque familia sequitur. Iam in universum, quantum quidem nunc licet, examinata huius partis memoria videntur omnium codicum lectiones facili opera ad unum secundae classis archetypum referri posse, a quo singuli non recedunt nisi aut apertissimis erroribus aut eo interpolationis genere quod in recentiorum codicum non nullis etiam in ceteris scriptis observare licet. Sunt tamen quae contra hanc sententiam facere videantur, quae omnia religiose collegi, quamquam fieri sane poterat in

tam multis libellis, quorum apparatus neque bonus adhuc congestus est et saepius per varios libros dispersus, ut hoc vel illud me fugeret. Neque omnia proponere in animo est, sed ea quibus maxime aliquis adduci possit ut praeter secundae classis archetypum alium huius partis fontem extitisse contendat.

Omnium difficillimum est de Asini codicibus disputare, cum Courierius, cuius subsidiis nunc fere solis uti licet, neque omnia e suo apparatu enotaverit neque accurate, ut videtur. Quae certo perspici possunt, perspexit fere Rohdius[1]), duo esse codicum genera, quorum prius alteri longe praestat. Illud etiam recte contendisse mihi videtur, nullum extare locum quo secundum genus contra prius verum exhibere certum sit, sed ex hac ipsa observatione consequi mihi videtur, secundum genus totum e priore ductum esse, ut non duplici textus forma antiquitus traditus sit hic libellus sed simplici, e qua postea interpolando secundum codicum genus effictum est. Neque secundi generis ulla est in restituendo libro utilitas, omnia recte restitui possunt ceteris libris omnibus prorsus abiectis e solis iis quos A et *Γ* Courierius dixit, quorum utrumque priori generi Rohdius adscripsit. Plane diversum hoc est ab eo discrimine quod intercedere videmus inter partium A et D utramque codicum familiam, quarum secunda etiam in iis libellis ubi maxime interpolata est uti tamen licet hic vel illic ad leviores errores in prioris archetypo commissos corrigendos. In Asino igitur nihil obstare videtur quo minus omnia quae codices habent ex uno secundae classis archetypo derivemus, quod optime conveniret cum iis quae supra exposui. Sed prorsus mirum est inter interpolatos codices esse etiam Vaticanum 90, quem ubique praeterea videmus ab archetypi lectionibus non discedere nisi in levioribus. Itaque si fides est habenda

---

[1]) In appendice libelli quem de Luciani Asino edidit Lipsiae anno 1869, pag. 43 sq.

Courierii adnotationi criticae, aut librarius hic a suo more prorsus descivit, quae sententia posset fortasse defendi ea observatione quod in hoc opusculo etiam ordinem archetypi mutavit, aut textus libelli interpolatus iam erat quo tempore inter Luciani scripta inserebatur, eiusque forma verior, qua olim seorsum ferebatur, nihil fere mutata ad codices Luciani recentiores permanavit. Neutrum horum per se probabile est neque scio an rectius hic de Courierii fide dubitetur. Non possum certo de hac re iudicare, cum neque Courierii editionem viderim neque codicem Vaticanum ad hunc libellum contulerim, sunt tamen quibus suspicio illa firmetur. Codex Marcianus 72, qui apud Courierium littera A significatur et re vera est omnium optimus, si catalogum Marcianae sequimur, continet Gregorii Nazianzeni orationes neque quidquam praeterea. Quam in hoc codice in fine libelli legi subscriptionem, verissimam illam et gravissimam, ut infra demonstrabo, tradit Courierium secutus Iacobitzius, nihil de Vaticano 90 addens, *Λουκιανοῦ ἐπιτομὴ τῶν Λουκίου μεταμορφώσεων*, eam in Vaticano legi testari possum. Denique cum in uno solum loco eorum quibus Marcianus et Vaticanus secundum Iacobitzii apparatum inter se discrepant Vaticani lectionem compertam habeam, ibi (cap. 2 init.) *ὑπήκουσε δ' οὖν γυνή, εἶτα καὶ προῆλθεν*, quod e Marciano affertur, re vera est in Vaticano, quem *ἡ γυνὴ* et *προςῆλθεν* habere apud Iacobitzium e Courierii apparatu traditur. Itaque gravissimae quidem dubitationes tolluntur, si Courierium utriusque codicis significationes permutasse suspicamur. Priusquam autem Vaticanus 90 aut per totum libellum aut iis locis quibus gravius a Marciano discrepare dicitur accurate examinatus erit, satius erit diffidere, cum praesertim ipse Iacobitzius de Courierii sententia saepius incertus esse videatur, neque verendum est ne hac dubitatione iniuriam faciamus Courierio, de cuius in talibus diligentia conferenda sunt quae exposuit Cobetus in Novis lectionibus (pag. 172 sq.).

In Navis apparatu duo codicum genera agnosci possunt, quorum alterum efficitur Gorlicensi et Marciani 434 parte recentiore, alterum Florentini parte recentissima, cum qua vulgata fere consentit. Utrumque est interpolatum, facileque his codicibus, qui omnes sunt recentissimi, carere poterimus si quando collati erunt libri meliores, Vat. 90, qui unus e vetustioribus hunc libellum habet, quique ex alio archetypi apographo videntur descripti esse, Vat. 89, Urb. 118, quibus unus vel alter addi fortasse olim poterit. Nunc dici tantum potest nihil obstare quo minus utriusque generis interpolationibus eiusdem secundae classis archetypi lectiones subesse credamus.

Saepius accidit ut editores idoneam lectionem, quam coniectura repertam esse non probabile est, reciperent e codicibus recentioribus aut editionibus contra id quod in codice aliquo bono secundae classis legi constat. Nullam hoc habet difficultatem ubi unus secundae classis codex vel pauci inter se coniuncti adhuc collati sunt neque multum inter utramque lectionem interest, ut meliorem alio eiusdem archetypi apographo propagatam esse credere liceat. Ubi autem de archetypi lectione e bono apographo satis constat, omnia fere quaecumque ab illa gravius discrepantia e noviciis fontibus afferuntur coniectura inventa esse mihi persuasum est. Sunt in his sane plura quae per se spectata placere possint, neque ullo tempore defuerunt qui sermonis Lucianei satis periti scriptoris verba interpolarent. Saepius hoc fefellit editores, maxime in iis libris qui a Fritzschio non editi sunt neque per se satis digni videbantur qui maiore cum cura tractarentur. Tamen et ad meam sententiam defendendam necessarium neque per se inutile erit librariorum recentioris aetatis rationem ex exemplis quibusdam gravissimis cognoscere.

In libello De dea Syria scribitur cap. 29 (II, 403, 10) *πολλοὶ δὲ ἀπικνεόμενοι χρυσόν τε καὶ ἄργυρον, οἱ δὲ χαλκὸν κομίζουσι· εἶτ᾽ ἀφέντες ἐκείνου πρόσθε κείμενα ἀπίασι*

λέγοντες τὰ οὐνόματα ἕκαστος. Sine offensione haec leguntur si, quod tacite fecerunt Bekkerus et Dindorfius, ἀφέντες in ἀπέντες mutatur. Cum tamen absint verba εἶτ' ἀφέντες a codicibus qui quidem collati sunt omnibus, interpolationem forma Attica quoque prodi rectius iudicabimus. Apta loci forma restitui potest sola copula inserta ex eo quod in codice Γ esse testatur Dindorfius, πολλοὶ δὲ ἀπικνεόμενοι χρυσόν τε καὶ ἄργυρον, οἳ δὲ χαλκὸν κομίζουσιν ἐς ἐκεῖνον ⟨καὶ⟩ πρόσθε κείμενον καταπᾶσι, quamquam dubitatio relinquitur, cum ceteros codices pro illo κομίζουσιν habere tradatur τὰ νομίζουσιν, quod etsi coniectura videtur inventum esse, tamen nunc quidem difficile est de hac re pro certo iudicare. Sed utcumque hoc se habet, non recte editores lectionem vulgatam retinuisse certum videtur.

In Croniacis bis sequi solent editores Vaticanum 87, scribentes contra ceterorum codicum memoriam cap. 4 (I, 425, 11) καὶ μὴν καὶ πιεῖν ἐς τὸ ἥδιστον καὶ ᾠδικώτερον ἄλλου δόξαι ᾆσαι ἐν τῷ συμποσίῳ et cap. 9 (pag. 427, 30) ὥστε νῦν μὲν ἄφες αὐτά, εὐωχώμεθα δὲ ἤδη καὶ κροτῶμεν καὶ ἐπὶ τῇ ἑορτῇ ἐλευθεριάζωμεν, εἶτα πεττεύωμεν ἐς τὸ ἀρχαῖον ἐπὶ καρύων καὶ βασιλέας χειροτονῶμεν καὶ πειθαρχῶμεν αὐτοῖς. Neutrum tamen satis placet. Priore loco ᾠδικώτερον ᾆσαι non bene dici sensit Cobetus (Variae lectiones pag. 298), qui ᾆσαι illud delevit. Cum autem meliores libri non ᾆσαι habeant, quod interpolatione videtur ortum esse, sed ἅμα, quod ita sane ne ipsum quidem ferri potest, ἁμιλλωμένων ἐν τῷ συμποσίῳ Lucianum scripsisse crediderim. Altero loco Saturno festinanti ad ea quae festo die agenda sunt (confer quae praecedunt, πολλά με ἀνακρίνεις, ὦ οὗτος, ἤδη πίνειν δέον) non nimis bene convenit inutiliter insertum illud ἐπὶ τῇ ἑορτῇ, quod ad liberam linguam non magis pertinet quam ad cetera ludicra, neque legitur in ceteris libris, in quibus est καὶ ἐπὶ τῇ ἐλευθερίᾳ ἤδη ζῶμεν, quod mihi interpolationis genere non infrequenti in Luciani scriptis ortum esse videtur e simplici καὶ ἐλευθεριάζωμεν.

In Scythae cap. 3 (I, 17, 15) scribitur de Toxaride Graeco habitu ornato ὑπεξυρημένον τὸ γένειον, ad sententiam apte, nulla tamen nisi recentiorum codicum et editionum auctoritate. Qui unus e vetustioribus libris collatus est, Wittianus, habet ἐν χρῷ κεκαρμένον, neque probabile est eum adeo ab archetypi scriptura recessisse. Alterum illatum videtur a librario qui observavit ἐν χρῷ κεκαρμένον apud Lucianum plerumque dici de capitis capillis; scripsit tamen etiam in Piscatore (cap. 46, I, 281, 25) ἀποκειράτω τὸν πώγωνα ἐν χρῷ, et hic ni fallor dicendum erat summa cum cura illi barbam tonsam fuisse.

Demosthenis laudatio scripta sermone vitiosissimo, etsi non numquam non sine vi quadam et concinnitate orationis, et res continens ineptissime fictas velut Demosthenis morientis verba a notario excepta, vix videtur digna in qua restituenda diutius haereas. Cum tamen extet in Vindobonensi, qui hic secundae classis est, ab eoque saepius recesserint et Iacobitzius et Bekkerus propter vulgatam lectionem satis graviter ab eo discrepantem, res poscit ut non recte eos egisse illaque omnia coniectura, saepius vera, plerumque non inepta, reperta esse demonstrem. Tractabo igitur quam brevissime fieri poterit exempla saltem maxime notabilia.

Cap. 9 (II, 321, 5) traditur in Vindobonensi et plerisque ceterorum codicum ἀλλ' οὐδὲν ἧττον τοὐμὸν ἀγώνισμα τῶν εἰς Ὅμηρον ἐγκωμίων διπλάσιον ἔργον ἢ τοὺς σοὺς εἰς Δημοσθένην ἐπαίνους τίθημί που τοῖς μέτροις ἀλλὰ τῷ μὲν ἔφη τῷ τοὐμὸν μὲν οὐκ ἔχειν ἑδραίαν κρηπῖδα e. q. s. Quae etsi prorsus certo restituere non possum, probabile tamen videtur scriptum fuisse οὐ τοῖς μέτροις, ἀλλὰ τῷ τοὐμὸν μέν, ἔφη, οὐκ ἔχειν ἑδραίαν κρηπῖδα. Nam οὐ post που facile poterat omitti, in sequentibus autem videtur in archetypo pro τῷ τοὐμὸν μὲν ἔφη primum τῷ μὲν ἔφη scriptum, deinde verum τῷ τοὐμὸν μὲν suprasciptum fuisse[1]). In editionibus οὐ, quod sen-

[1]) Ἔφη saepius ita repetit scriptor (cfr. pag. 322, 29. 323, 5. 324, 18. 330, 2).

tentia flagitatur, ita inseritur ut *που* deleatur, pro verbis autem *ἀλλὰ τῷ μὲν ἔφη* scribitur *ἀλλὰ τῇ ὑποθέσει φημί*, prorsus apte, si modo vere traditum esset, quae res ex hoc solo loco diiudicari non potest.

Sequenti capite (pag. 321, 31) verum esse vix potest quod scribi solet *νόμων δὲ καὶ δικαστηρίων . . . . ἀφθονία μὲν ἦν ἄν μοι περιττὴ πάντως, τὸ δ' ἐγκώμιον οὐκ ἂν ἀπαρτᾶν ἐνομιζόμην*. Habent autem codices non *περιττὴ πάντως*, sed eius loco *περιττὸν εἰπόντος εἰ*, in quo *περὶ τούτων εἰπεῖν* ita latere puto ut hic quoque in archetypo fuerit (primum *εἰπόντος* pro *εἰπεῖν τὸ δὲ* scripto, deinde
ει τὸ δ'
correcto) *περὶ τούτων εἰπόντος ἐγκώμιον*. Neque in proxime sequentibus (pag. 321, 35) veram puto lectionem vulgatam, sed legendum esse codicum lectione leniter immutata *σοὶ δ' ἴσως εὐλάβεια τὸ τῆς παροιμίας ἐπὶ σκώμματι τῆς ⟨ἀ⟩συμμετρίας ἐπαγαγέσθαι*, quod iam ab editionis principis auctore inventum est; interpolatum esse quod vulgo scribitur *τὸ τῆς παροιμίας σκῶμμα ἐπὶ τῇ ἀσυμμετρίᾳ* hic quidem certissime apparere mihi videtur.

Omissis multis levioribus aut minus certis quae e codicum scriptura rectius quam fit constitui possunt transeo ad verba cap. 31 (cap. 327, 36) *καὶ τὸν ἄπιστον Ὑπερίδην, τὸν ἄφιλον δημοκόλακα, τὸν οὐδὲν αἰσχρὸν νομίσαντα* etc. Recte hic factum est ab editoribus quod *καὶ* facili errore in codicibus post *δημοκόλακα* scriptum omiserunt. Ineptum autem est illud *τὸν ἄφιλον δημοκόλακα* quod fertur in editionibus, cum codices habeant *καὶ τὸν ἄπιστον Ὑπερίδην καὶ τὸν ἄπιστον δημοκόλακα*, ubi apparet verba *καὶ τὸν ἄπιστον* mero errore repetita esse et scriptum fuisse *καὶ τὸν ἄπιστον Ὑπερίδην, ⟨τὸν⟩ δημοκόλακα.*

Sequitur locus (cap. 39, pag. 330, 29), quem ita proponam ut scribendus esse mihi videtur: *Καὶ πρέσβεις ὁπότε πρὸς τὰς πόλεις πέμποι* (Philippus), *τῶν μὲν ἄλλων ῥητόρων εἴ τινας ἡ τῶν Ἀθηναίων πόλις ἀνταποστέλλοι, τῇ πρεσβείᾳ κεκρατηκὼς ἂν ᾔδει, τοῦ Δημοσθένους δὲ ἐπιστάντος*

„*μάτην*“ *εἶπεν ἂν* „*ἐπρεσβεύσαμεν*“. Non mirum est verba *ᾔδει τοῦ* corrupta esse in *ἥδιστα τοῦ*, quod est in codicibus. Quod cum vir doctus quem editio princeps hic sequitur traditum invenisset, e verbis *κεκρατηκὼς ἂν ἥδιστα*, quae corrupta esse vidit, suo arbitrio effecit *ῥᾷστα ἦν κεκρατηκώς*, quod editiones occupavit et ne a Bekkero quidem expulsum est. Neque alia ratio est proxime sequentium, in quibus e codicum lectione hoc fere videtur efficiendum esse: *Ταῦτα ὁ Φίλιππος, ἡμεῖς μέντοι* (traditur *καὶ μέντοι*) *καὶ πάντως ἔλαττον ἂν ἔχοντες λάβοιμεν. Τοιοῦτον οὖν ἄνδρα, πρὸς Διός, Ἀρχία, τί* (codices *ἔτι*) *ποτε νομίζεις;* ⟨*ὡς*⟩ *βοῦν ἂν ἐπὶ σφαγὴν ἤγομεν ἢ πολὺ μᾶλλον ἂν σύμβουλον περὶ τῶν Ἑλληνικῶν πραγμάτων καὶ τῆς ἀρχῆς πάσης ἐποιούμεθα;*

His exemplis, quibus alia addere possem, illud satis docuisse mihi videor, neque in hoc dialogo gravissime corrupto restituendo neque ceteris quos tractavi locis quidquam pro vere tradito habendum esse quod non fuerit in secundae classis archetypo.

IV.

Ex utriusque codicum classis archetypis apographa primum ea plerumque ratione facta sunt ut aut omnes libelli aut pars eorum eodem quo scripti erant ordine repeterentur aut, si tamen aliquid aliunde admiscebatur, hoc ita modeste fieret ut variarum partium fontes vel nunc facili negotio discerni possint. Sed cum semper crescente studio et ultimis Byzantini regni saeculis et litterarum in Italia renascentium aetate Luciani opera legerentur[1]), paucorum e multis qui Luciani libellis describendis operam dabant intererat omnia excribere, plerique iis libellis contenti erant quos maxime admirabantur, quorum exemplaribus cum alii alia ex aliis fontibus adderent, et ordo librorum mirum in modum conturbatus est et utriusque familiae memoria magis magisque confusa. Neque ea est rei criticae in Luciani scriptis condicio ut his noviciis apographis carere omnino liceat, eam tamen in universum legem tenere debemus ut quo propius singuli codices ad alterutrius familiae ordinem accedunt, tanto fidelius eius lectiones eos servasse credere debeamus, quo magis libellorum ordo ab antiqua forma recedit, tanto magis a lectionibus aut ex

---

[1]) De aetatis Byzantinae studiis Lucianeis egerunt C. B. Hase (Notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque du Roi vol. IX) et Ellissen (Analecten der mittel- und neugriechischen Litteratur IV, 1); renascentium litterarum aetate quanto amore viri docti Luciani scripta legerint, nuper doctissima commentatione exposuit Foersterus (Archiv für Litteraturgeschichte XIV pag. 337 sq., cfr. etiam Jahrbuch der preussischen Kunstsammlungen 1887 pag. 29 sq. 89 sq. et Jahnium, Aus der Alterthumswissenschaft pag. 350.)

altera classe receptis aut coniectura inventis cavendum sit. Etiam ubi habent mixti codices aliquid boni aliunde ignotum, hoc ipsum severe examinare et e ceterorum codicum comparatione aestimare debemus. Omnium maxime autem illud necessarium mihi videtur ut huius codicum generis varii fontes discernantur neque temere ea quae de uno aut pluribus libellis recte observata sunt ad totos codices referantur. Quam rem cum haud raro neglegerent ii qui de codicibus Lucianeis iudicaverunt, iudicia prolata sunt mirum in modum inter se diversa de rebus per se admodum simplicibus et ad restituenda scriptoris verba gravissimis. Codicem Gorlicensem pro suae editionis fundamento habuit Iacobitzius et littera A significavit, eumque fere secutus est Fritzschius; acerrime contra hanc sententiam pugnavit Rohdius[1]), cuius argumenta nemo non probabit, modo ad Asinum solum, de quo egit, referantur. Codicem Vaticanum 87 optimum testem prioris classis esse contendit Rohdius[2]), eundem secundae familiae post librum Γ dignitate secundum dixit Fritzschius[3]), optimae notae sed interpolationibus foedatum nuper Sommerbrodtius[4]). Neque tamen difficile est perspicere, de neutro horum codicum omnino iudicari posse nisi singulae eorum partes inter se discernuntur, ac ne in ceteris quidem, quorum neque fontes ita facile discernuntur neque auctoritas tanta est, multum iuvamur more illo codicum dignitatem quasi per gradus quosdam praestantiae censendi, cum admodum simplex sit codicum Lucianeorum ratio certaeque leges e textus historia petitae inveniri et teneri et possint et debeant.

Secundae classis habemus codices satis multos bonos et antiquos, quorum ea in universum est ratio ut semper fere iis lectionibus quae maioris apographorum partis auctoritate commendantur fides habenda sit. Accuratius

[1]) In appendice libelli quem de Asino edidit pag. 44 sq.
[2]) In Philologi indice anni 1872 pag. 491.
[3]) III, 1 pag. XVIII.
[4]) In editione I, 1, pag. VII.

singulorum auctoritatem perpendere nondum possumus, quia ne nunc quidem nisi in paucis libellis de omnium aut plurimorum bonorum codicum lectionibus satis constat. His accedunt recentiores codices non nulli, quibus ut editores potissimum uterentur casu magis quam consilio factum est, velut Guelferbytanus G, ad quem multa e priore familia pervenerunt, et, qui proxime inter se coniuncti sunt, Guelferbytanus F et Parisinus M, prioris classis lectiones numquam fere exhibentes, sed foedissime interpolati neque quidquam boni praebentes quod non in Marciano, quo maxime usi sunt, aut alio antiquiorum codicum extet. Atque hos quidem et eorum similes in priore operum parte, ubi meliores fontes sufficiunt, futurus Luciani editor sine damno spernet; in altera parte, ubi codices vetustiores praeter Vaticanum 90 fere deficiunt, recentiores quatenus ab eo pendeant, quatenus alio fonte usi sint, nunc quidem nondum potest diiudicari.

Cum igitur in universum simplex et facilis huius familiae ratio esse videatur, de duobus tamen codicibus iis quae supra exposui hic aliquid addendum est. De Harleiano supra ita egi ut eum archetypi secundae classis apographum esse dicerem, ordine non nihil ab illo recedens. Omisi illo loco, quia tum recte tractari nondum poterat, quaestionem gravissimam, quam nuper de eo codice movit Maassius [1]), non temere, ut visum est Sommerbrodtio, qui tamen ipse non nimis accurate rem noverat, sed certis gravibusque argumentis nisus, quas omni cura examinare debemus. Si enim, quod ille demonstrasse sibi visus est, et Vindobonensis totus (de Charone maxime rem probavit) et Mutinensis (in quo adnotationibus ad Calumniam adscriptis pro argumento usus est) descripti sunt ex Harleiano quo tempore etiam integer erat, dubitari non iam potest quin omnium codicum quotquot extant ille fuerit archetypus illudque discrimen quod intercedere videmus inter utramque codicum classem post

[1]) Mélanges Graux pag. 749—766.

illius libri aetatem ortum sit. Corruit ita fundamentum eorum quae supra de opusculorum Lucianeorum fatis eruere conatus sum; neque enim iam licet utriusque classis librorum ordinem ex apographis restituere, sed unus ille accipiendus est quem habet Harleianus, ceterorum omnino ratione non habita, nisi quatenus ad partes eius nunc iam non extantes restituendas faciunt. Sed Maassii sententia vera esse non potest. Si eam probamus, omnia in quibus secundae classis codices inter se et in ordine et in singulis lectionibus consentiunt, referenda sunt ad commune archetypum idemque Harleiani apographum i. e. ad codicem non ante Arethae archiepiscopi Caesarensis aetatem, in cuius usum Harleianum circa annum 914 scriptum esse ipse Maassius demonstravit, exaratum. Vidimus autem supra (pag. 28) secundae classis codice usum esse iam Photium, qui certe inter tot Luciani scripta Phalaridem maxime non solum fere commemorasset, nisi omnium opusculorum primus scriptus fuisset, quod proprium est codicum classis secundae. Sed Harleianum non esse ceterorum archetypum etiam e singulis eius lectionibus demonstrari potest. Lubrica sane est quaestio, cum in iis quos nunc Harleianus habet libellis et codicum discrimen minimum plerumque sit et codices boni aut omnino non collati sint aut ita ut singulis non semper fides haberi possit. Rei gravitas tamen poscit ut accuratissime in eam inquiramus, suntque non nulla quibus tuto insistere et rem diiudicare liceat.

Quae supra (pag. 14) e libello De saltatione attuli ita comparata sunt ut Maassii sententiae faveant. Sed non minus certum est alia ei ita obstare ut admitti omnino non possit[1]). In Apologia tribus locis verba ad sententiam necessaria, quae in Harleiano desunt neque coniectura restitui poterant, in ceteris extant, cap. 1

[1]) Illud tamen ex iis locis iure fortasse suspicari licebit, archetypi classis secundae duo facta esse apographa, quorum unum est Harleianus, alterum fons ceterorum codicum omnium. Sed pauca illa exempla non sufficiunt ut certo de hac re iudicari possit.

(II, 143, 8) *πολλὴ γοῦν ἡ διαφωνία τοῦ νῦν βίου πρὸς τὸ σύγγραμμα*, ubi *βίου* codex E omittit, cap. 2 (pag. 143, 18) *ἐμὲ μὲν σιωπᾶν καὶ ἀνέχεσθαι τεμνόμενον καὶ καιόμενον εἰ δέοι ἐπὶ σωτηρίᾳ* (codex E omittit *καὶ καιόμενον εἰ δέοι*), denique cap. 9 (pag. 145, 34) *εἰ δὲ τοῦτον ἀφεὶς τὸν λόγον ὡς οὐ πάνυ ἀξιόπιστον ἐκεῖνο λέγοιμι, μήτε ὑπὸ χρημάτων μήτε ὑπ᾽ ἄλλης τινὸς ἐλπίδος τοιαύτης δελεασθεὶς ὑποστῆναι τὴν παροῦσαν συνουσίαν, ἀλλὰ τὴν σύνεσιν καὶ ἀνδρίαν καὶ μεγαλόνοιαν τοῦ ἀνδρὸς θαυμάσας ἐθελῆσαι κοινωνῆσαι πράξεων τῷ τοιούτῳ, δέδοικα μὴ πρὸς τῇ ἐπιφερομένῃ κατηγορίᾳ κολακείας αἰτίαν προςλαβὼν κᾆτα εὑρίσκωμαι ἥλῳ, φασίν, ἐκκρούων τὸν ἧλον*[1]), ubi septem verba *μὴ πρὸς — αἰτίαν* in E non scribuntur. In libelli De dea Syria cap. 17 (II, 398, 1) Vaticanus 90 et editiones habent *λέγουσι τὸν νηὸν τὸν νῦν ἐόντα μὴ ἔμμεναι τὸν τὴν ἀρχὴν γεγενημένον, ἀλλ᾽ ἐκεῖνον μὲν κατενεχθῆναι χρόνῳ ὕστερον* e. q. s., in E omitti verba *μὴ ἔμμεναι τὸν τὴν ἀρχὴν γεγενημένον* traditur. In Anacharsidis cap. 25 (I, 297, 21) editionum scripturam *τοσαύτης εὐεξίας ἀπολαύοντες* ex eo quod est in E *τοσαύτης εὐεξίας ἀπολάμποντες* ortam esse eo minus credo quod neutrum videtur verum esse sed scribendum *τοσαῦ⟨τα⟩ τῆς εὐεξίας ἀπολαύοντες*, neque probabile est cap. 29 (pag. 299, 11) *θρύπτεσθαι καὶ διαῤῥεῖν* coniectura scriptum esse pro eo quod est in E, *θρύπτεσθαι καὶ διαιρεῖν*. In libelli De historia conscribenda cap. 8 (II, 23, 31) *ἐπειςάγοι τῇ ἱστορίᾳ τὰ τῆς ἑτέρας κομμώματα* optime traditur in codicum parte, cum E cum ceteris *σκώμματα* habeat. Cap. 13 (pag. 25, 31) recte intellexit Fritzschius veram Luciani manum e Vaticanorum 87 et 90 lectione *εἰ δέ τις πάντως τὸ τερπνὸν ἡγεῖται καὶ τὸ μεμῖχθαι* (*ἐγκαταμεμῖχθαι* Dindorfius) *δεῖν τῇ ἱστορίᾳ πᾶς ἀλλὰ σὺν ἀληθείᾳ τερπνά ἐστιν ἐν τοῖς ἄλλοις κάλλεσι τοῦ λόγου* ita restituendam esse ut *ἀλλὰ* accipiatur pro *ἀλλ᾽ ἅ*, post *πᾶς*

---

[1]) *Προςλάβω* pro *προςλαβὼν* malim scribere quam cum Sommerbrodtio *κᾆτα* in *εἶτα* mutare.

autem non nihil in archetypo omissum fuerit. Quod autem E aliique libri habent *τῇ ἱστορίᾳ τὰ ἄλλα*, hoc ex ipso illo *τῇ ἱστορίᾳ πασ .... ἀλλ' ἃ* interpolatione ortum est. Alia huius generis quae et ex his libellis et e Prometheo minore, Hermotimo, Scytha, Harmonide, Eunucho peti possunt, omitto.

Sed etiamsi stare non potest Maassii sententia, tamen eius argumenta minime contemnenda mihi videntur. Subscriptionibus traditur quattuor codices, Euclidis Oxoniensem, Platonis Clarkianum, Apologetarum codicem Parisinum, Dogmaticorum Mosquensem, scriptos esse in usum Arethae archiepiscopi Caesarensis annis 889, 896, 914, 932 a Stephano clerico, Iohanne calligrapho, Baane notario, Styliano diacono. Horum codicum tres cum inspexisset Maassius, in iis omnibus alterius manus eundem emendandi quae scripta erant, signa, exclamationes, adnotationes apponendi morem invenit, ut Arethae illam manum esse pro certo poneret. In Harleiano autem cum non modo in adnotationibus et emendationibus Arethae sed etiam in ipso textu Baanis notarii manum pro certo agnosceret, contendere non dubitavit scriptum esse librum a Baane circa annum 914, neque de ea re post eius testimonium videtur dubitari posse. Adnotationes autem quales Arethas apponere solet, scriptorem compellans, castigans, eius verba suae aetatis exemplis illustrans, et in Vindobonensi inveniuntur et in Mutinensi codiceque eo e quo vir doctus ad editionis principis exemplar nunc Heidelbergae servatum non nulla adnotaverat[1]). Atque hoc ultimum quidem plane mitto, cum nihil mihi de illius codicis scholiis compertum sit[2]). De Mutinensi rem probasse Maassium iis quidem quae affert (pag. 762) vix concesserim, fierique etiam poterat ut in

[1]) Confer Iacobitzii editionem I pag. XXXIII.

[2]) Signo V in Iacobitzii scholiorum editione, si recte eius rationem sane perplexam intellego, numquam significatur codex ille quem in adnotatione critica ad ipsa Luciani scripta hoc signo afferre solet, sed semper codex Isaaci Vossii (cfr. IV pag. 37), quem eundem esse atque

hunc codicem ex aliis fontibus huius generis adnotationes transscriberentur[1]). Longe diversa res est in Vindobonensi, quamquam fortasse ne hic quidem prorsus certa, cum admodum difficile sit diiudicare quaenam in talibus Arethae propria sint quaeque ex universa eiusdem aetatis studiorum ratione explicari possint[2]). Admodum tamen probabilis est in Vindobonensi Maassii sententia, cum praesertim eo scholio (ad Charonis cap. 17, IV pag. 82 Iacob.), quo maxime Arethae ratio qualem descripsit Maassius agnoscitur, etiam ipsum illud tempus quo Harleianus scriptus est accuratissime indicetur[3]). Accedit alia obser-

---

Vaticanum 90 censet Fritzschius (III, 1 pag. XV), quamquam probabilior est sententia scholia eius e Vaticano aliisque fontibus congesta esse (confer etiam quae dixit P. de Nolhac in diario Revue de philologie anni 1884 pag. 149).

[1]) Quae scholia communia sunt Arethae cum grammatici Bachmanniani *συναγωγῇ λέξεων*, de qua supra (pag. 14) dixi, ea quo minus ex iisdem antiquis commentariis petita sint nihil videtur obstare, neque nimium tribuerim argumentis quibus ad ipsum Aretham ea referre aliquis possit, usus iis quae de Dione disputat grammaticus Bachmannianus pag. 345, 20 (cfr. scholia Lucianea pag. 248 Iacob.) aut de Paphlagonum et Ponticorum sermone pag. 319, 3 (= scholia pag. 246 et Etymol. mag. s. v. *σαπέρδας*) et pag. 328, 31 (= scholia pag. 195). Hos quidem locos comparanti dubium esse vix potest quin scholiasta, sive Arethas fuit sive quis alius, non de suo illa dederit sed lexico usus sit. Ne hoc quidem argumento recte uti licebit ad Maassii sententiam confirmandam, quod scholiasta Lucianeus ad Hermotimi cap. 34 (pag. 117 ed. Iacob.) Chrysostomi nomen eadem ratione explicat (quam ibi de Gelone tyranno Lucianus tradit narratiunculam inepte in Dionem transferens), quam alius scriptoris versibus exposuit Arethas in vita Dionis (Dio ed. Dindorf II, 365, 9 sq.).

[2]) Ut de talibus recte iudicari possit necesse erit quaecumque de Arethae studiis in Platone, Dione, Aristide, Luciano positis innotuerunt colligere et inter se comparare.

[3]) Erravit tamen Maassius quod Stylianum qui hoc in scholio commemoratur eundem esse putavit atque Stylianum diaconum, Mosquensis codicis librarium. *Στυλιανὸς ὁ Τζαούτζης* officii nomine a Turcis sumpto dici solere imperatoris Leonis, de cuius morte in eodem scholio agitur, socerum didici a Ducangio (Gloss. graec. II pag. 1563) monente Vitellio, qui idem scholion in codice Laurentiano 57, 51 legi tradidit (Spicilegio Fiorentino pag. 20).

vatio. Raro accidit ut duo codices paulo maiorem libellorum Lucianeorum numerum continentes nullum habeant qui in eorum utroque legatur; hic duodeviginti libelli codicis Harleiani et duodetriginta Vindobonensis inter se diversi occurrunt. Vindobonensi addi possunt libri undeviginti quos eius initio olim scriptos fuisse e Vaticani 76 et Gorlicensis comparatione supra effeci; eadem res manet, nam quod libellos De mercede conductis et Anacharsim in prioris classis archetypo scriptos fuisse supra conieci, non obstat, si non de ipso prioris classis archetypo cogitamus, sed de codice descripto ex eius apographo, in quo Anacharsis et libellus De mercede conductis iam omissi erant et insertum Deorum concilium, fonte omnium qui extant huius familiae codicum. In utroque codice, et Vindobonensi et Harleiano, singulis libellis numeri adscripti sunt; hi quoque invicem se excludunt. Iam si quaerimus quinam duodesexaginta illi libelli fuerint quos in Harleiano ante primum eorum qui nunc quoque extant scriptos fuisse e numeris constat, vix alii dici poterunt quam iidem qui sunt aut fuerunt olim in Vindobonensi. Hoc nemo negleget qui in talibus probabilitatem sequi consuevit. Sed non modo se excludunt et numeri et libelli sed fere se excipiunt. Vindobonensis codicis liber ultimus qui adhuc extat sunt Croniaca, quorum singulae partes pro singulis libellis numerari solent et in Vindobonensi quoque ita numerabantur. Ita si rationes subducimus, usum antiquorum codicum secuti, habemus quinquaginta sex libellos, quos Vindobonensi tribuere licet. Croniaca excipiunt in secundae classis archetypo Herodotus, Zeuxis, deinde quinque libelli, Pro lapsu, Apologia, Harmonides, Hesiodus, Scytha, qui eodem ordine initio Harleiani perscripti sunt. Eundem ordinem si in Vindobonensis parte nunc amissa fuisse ponimus, qui in hac parte in universum quidem secundae classis archetypum sequi solet, eius liber undesexagesimus erit idem (Pro lapsu inter salutandum) qui undesexagesimus est etiam in Harleiano. Ita igitur rem probabiliter ex-

plicari posse puto. Arethas habuit exemplar classis prioris, fortasse suo iussu exaratum, singulis paginis per binas columnas conscriptum. Cum autem incidisset in codicem (ut videtur archetypum) classis secundae, Baanem notarium iussit ex eo transscribere eos libellos quos in priore familia non tradi vidit. Librarius a Peregrino incipiens tredecim libellos eodem quo in secundae classis codice legebantur ordine exaravit[1]), omisit autem Asinum, ut videtur consulto, Historiam et Dipsades errore. Quem errorem cum post Scytham perscriptum animadvertisset, non modo duos illos libellos repetivit sed ea occasione etiam e toto codice ea quae in suo nondum scripta invenit eodem quo ibi legebantur ordine inseruit. Deinde rursus uno libello omisso (Tragoedopodagra, quam alii quoque ad finem reiecerunt, ut cum Ocypode coniungeretur) pergens in secundae classis tenore scripsit Hermotimum et Prometheum minorem paucosque qui restant secundae classis libellos, quos in fine Harleiani periisse probabile est. Ex integro quem hoc modo Arethas composuit operum Lucianeorum codice prima pars (libelli 1—20) prorsus periit neque restitui potest nisi ex recentioris aetatis codicibus ad eundem fontem redeuntibus, secundae (20—53) apographum servatum est codex Vindobonensis, tertia (53—59) periit, quarta (59—76) est codex Harleianus nunc etiam extans, quinta (77—83?) periit.

Arethae igitur, si vera sunt quae conieci, debemus apographum eorum secundae classis librorum qui in priore non extant, ut vetustate ita fortasse etiam praestantia excellens, et apographum prioris familiae, cui

---

[1]) Mirum non est librarium cui e codice prorsus diversum ordinem secuto in suum aliquid transferendum erat quovis loco incipere. Fortasse tamen non casu hoc factum est reque vera pars C non unum est corpus librorum Lucianeorum veteri corpori additum, sed duo, quorum alterum a libello De dea Syria, alterum a Peregrino incepit. Conferenda sunt quae supra (ad pag. 26) adnotavi. Non potui tamen quidquam certi de hac re eruere.

summam esse in Luciani verbis restituendis auctoritatem omnes consentiunt, non debemus ipsum Lucianum. Vixere iam ante eum qui eius scriptoris operibus colligendis et describendis operam dabant, quorum tamen nomina ignoramus. Contra alius viri docti, Aretha, ut videtur, paulo recentioris, licet memoriam revocare, coniunctam illam cum alio secundae classis codice, Vaticano 90, de quo supra iam satis disputavi quatenus pro secundae classis teste est. Sed praeter textum ab ipso librario scriptum summi momenti esse lectiones a correctore additas olim monuit Rohdius[1]), neque hic ea res praeteriri potest. Unum huius generis locum supra tractavi (pag. 39 sq.), ubi correctorem fonte ab omni reliqua memoria diverso usum esse exposui. Sed extant multae huius generis emendationes per totum codicem, quarum qui codicem adhuc contulerunt plerumque nondum satis rationem habuerunt. Probe enim discernendum est inter ea quae aetate multo recentiore atramento nigro nullo cum fructu correcta sunt et adnotationes non multo post codicem ipsum scriptum atramento paulo obscuriore una cum scholiorum parte additas, quas e codice prioris classis sumptas esse recte perspexit Rohdius, nisi quod ex mea sententia de huius generis fonte in iis tantum libellis cogitari potest qui duabus familiis traditi sunt, et videntur re vera huius manus adnotationes multo crebriores esse in libris partis A quam in ceteris, quamquam numquam sibi constitit corrector, qui neque in ullo libello omnia notabilia adscripsit et totos libellos velut Prometheum, in quo summum inter utramque familiam intercedit discrimen, plane omisit. De ipsa re tamen dubitari non potest. Correctoris ratio et fons ut clarius appareat, exemplis iam a Rohdio propositis addam huius generis adnotationes omnes quae in Bis accusati capitibus quattuor primis inveniuntur. De utraque familia in hoc dialogo satis constat ex apparatu Fritzschiano, neque multum

[1]) In Philologi indice anni 1872 pag. 491.

mutatur iis codicibus qui accedunt, prioris classis Vaticanis 1324 et 76, secundae Laurentiano 57, 51, Urbinati 118 aliisque, mixtis multis, inter quos Vaticanus 87 totus fere classi priori addictus est. Habet igitur

	corrector codicis Γ et familia prior	prima manus codicis Γ et plerique ceteri codices familiae secundae
cap. 1	ὁ Ἀπόλλων τε αὖ	om. τε αὖ
	μεταβαίνει	μετέρχεται
	ἕκαστοι	ἑκάστοις[1])
cap. 2	τὰ τῶν ἄλλων θεῶν ἔργα	om. τὰ
	ἐν αὐτοῖς	ἐπ' αὐτοῖς
	θεοί τε καὶ ἀνέρες	θεοὶ καὶ ἀνέρες
	ἄσπονδοι δὲ οἱ κρατῆρες, ψυχροὶ δὲ οἱ βωμοί	ἄσπονδοι καὶ οἱ βωμοί[2])
cap. 4	καὶ αὐτὸς	καὐτός[3])
	πάντες ἀγανακτοῦσι	πάνυ ἀγανακτοῦσι
	πάντας ὁπόσοι	ὁπόσοι (om. πάντας)[4])

Haec sane multa sunt et gravia neque tamen minora ea quae corrector non tetigit, velut cap. 1 *περιέρχεται* contra *περίεισι* classis prioris, *καὶ δρομαῖος αὖθις εἰς Δῆλον ἢ εἰς* ***Βραχίδας*** (sic) *καὶ ὅλως* e. q. s., cum prioris classis lectio, iniuria ab editoribus spreta, sit *καὶ δρομαῖος αὖθις ἐς τὴν* ***Κλάρον***, *εἶτα ἐς Δῆλον, ἐς* ***Βραγχίδας***, *καὶ ὅλως ἔνθα ἂν* etc. Alia etiam huius generis in paucis his capitibus inveniuntur, cum vel ex his satis appareat, correctoris silentio nihil umquam tribui posse.

---

[1]) Classis prioris hic est *ἕκαστοι ξυντελοῦντες*, alterius *ἑκάστοις συντελοῦσι;* tamen corrector solum prius vocabulum mutavit.

[2]) Verba *καὶ οἱ βωμοὶ* in codice Γ legi nunc non possunt, deleta a correctore, qui prioris classis lectionem eorum loco posuit.

[3]) De codicis Γ manu prima non satis constat.

[4]) Accedit solius codicis Γ vitium (cap. 2) *νοσῶν ἢ πλέον* recte a correctore mutatum in *νοσῶν ἢ πλέων*.

Correctoris huius adnotationes non multo recentiores esse codicis manu prima ex ipsa litterarum forma apparet, licet autem certius etiam et eius aetatem definire et hominem ipsum agnoscere e subscriptionibus post non nullos libellos additis, quibus traditur Alexandrum episcopum Nicaeae exemplar correxisse variis hominibus adiuvantibus i. e. contra legentibus, hac fere forma: Δ (i. e. *διώρθωσα*)[1]) *ἐγὼ Ἀλέξανδρος ἐπίσκοπος Νικαίας τῆς κατὰ Βιθυνίαν μετὰ τοῦ οἰκείου ἀδελφοῦ Ἰακώβου τοῦ μητροπολίτου Λαρίσσης* aut similiter. Alexander ille Nicaeae episcopus dubitari non potest quin sit Alexander Nicaeae metropolita, quem artis rhetoricae in urbe Constantinopoli magistrum ab imperatore Constantino Porphyrogenneto constitutum esse tradit illius laudator, qui eius iussu Theophanis chronica continuavit (VI, 14 pag. 446 ed. Bekk.). Quod factum esse non multo post annum 945, quo Constantinus solus regnum capessivit, et per se probabile est et ex ordine quo singula apud scriptorem illum narrantur videtur apparere. Medio igitur fere saeculo decimo Alexander corrigendo Luciani exemplari operam dabat. Subscriptiones ipsas tradere necessarium non videtur, cum omnes fere, quamquam consulto aliquantum mutatae et flosculis rhetoricis exornatae, idem tamen in summa re dicant[2]), sed illud

---

[1]) De hoc signo pro *διὰ* saepius usurpato disputavit Dielsius in Hermae vol. XIII pag. 8, de litteris ΔΙΩ (P) semel *διώρθωσα* significantibus Carolus Graux (Revue de philologie 1877 pag. 207) et Gardthausenus (Griechische Palaeographie pag. 374).

[2]) Tradiderunt de iis Massonius et Lossius, quorum testimoniis praeter alios usus est Iacobitzius in editione maiore I pag. XXXI, sed admodum male habitas non recte legerunt aut intellexerunt. Unam tradam accuratius, quia utilis fortasse esse poterit iis qui in illius aetatis res gestas inquirunt. Scribitur codicis fol. 122r post libellum Adversus indoctum Δ *ἐγὼ Ἀλέξανδρος ἐπίσκοπος Νικαίας τῆς ἐν Βιθυνίᾳ μετὰ Ἰακώβου τοῦ ὁμοψύχου ἀδελφοῦ καὶ μετὰ Δαρείου τοῦ πρῶτον μετὰ τὴν καταδρομὴν τῶν Βουλγαρῶν ἰδίοις αὐτὴν ἀναλώμασιν ἀναστήσαντος καὶ κόσμον αὐτῇ τε καὶ τοῖς κτήμασι δόντος πλείονα.* Bulgaros

animadversione quam maxime dignum est, ad quos libellos additae inveniantur. Leguntur enim, nisi quid me fugit, post Verae historiae librum utrumque, Calumniam, Iudicium vocalium, Timonem, libellum Adversus indoctum, Somnium, Hermotimum.[1]) Atque Hermotimi quidem ratio non nihil diversa est a ceteris; librarius enim finito Hermotimo ultimam paginae partem vacuam reliquerat, et videtur ipso spatio invitante corrector ductus esse ut subscriptionem adderet[2]). Ceteras, quae in margine scriptae sunt omnes, si respicimus, facile apparet eas inveniri in iis ipsis libellis a quibus olim incepisse prioris familiae archetypum supra demonstravi. Solus Parasitus desideratur, ceteri sunt libri codicis Vaticani 76 primi (cfr. pag. 21 sq.) accedente Somnio, quem libellum in classis prioris archetypo, quamquam nunc in eius apographis nondum inventus est, olim tamen scriptum fuisse ex aliis argumentis supra effeci. Ita igitur rem instituit corrector ut exemplaris quo ad corrigendum utebatur ordinem secutus initio solum negotii suum nomen subscriberet, sive taedio eius rei paulatim captus, quod variando orationem lenire studuit, sive opus inceptum postea per alios peragendum curavit. Egregie autem hac observatione confirmantur et Rohdii de huius correctoris fonte sententia et ea quae supra de prioris classis ordine exposui.

---

saepius illa aetate Rhomaeorum regnum vastasse et usque ad ipsas urbis portas pervenisse satis constat neque mirum est eos tali occasione etiam in Asiam traiecisse; nihil tamen, quantum quidem examinare potui, de ea re tradi videtur. Facillime de invasione anni 929 cogitaveris, sed etiam ad annos proxime sequentes pertinere ea res potest. In rebus non multo ante Constantini mortem (959) gestis Theophanis continuator (pag. 464) Nicaeam dicit *πόλιν ἀρχαιόπλουτον καὶ πολύανδρον*, invasionis Bulgaricae nulla omnino mentione facta.

[1]) Codicis fol. 34 v, 41 v, 45 v, 46 v, 92 v, 122 r, 124 r, 305 v.

[2]) Ipsius Alexandri nomen in litura hic legitur, quod fortasse non casu fit.

Prioris classis codicibus, ad quos transeo, e mixtis addo Gorlicensem[1]), quia eius auctoritas sola fere posita est in ea parte quae tota fluxit e classis prioris codice. Hoc dudum perspexit Siemonsenus, qui olim commentatione plane egregia[2]) codicum Lucianeorum rationem illustravit, multa recte perspiciens, in aliis non tam sua culpa errans quam quia e paucis quorum notitiam sibi paraverat codicibus verum videre omnino non poterat. Atque ille quidem prorsus omissa ordinis quaestione, quam expediri posse desperabat, ex solis ipsis codicis lectionibus examinatis coniecit e fonte ceteris meliore sumptos esse libellos inde a Somnio usque ad Deorum dialogos (huius codicis 48—67), quod nunc e superioribus ita licet immutare et certius constituere ut ad solos libellos inde a Timone usque ad Piscatorem (50—60) pertineat (cfr. pag. 22). Fieri tamen poterat ut etiam in aliis libellis librarius bonis fontibus uteretur, idque factum est in libello De saltatione, quem e Wittiano sumptum esse videri supra dixi, et in Iove tragoedo, ubi e prioris classis codice non nulla sumpsit aliunde adhuc incognita. Contra in Verae historiae libris plane erravit Iacobitzius hunc maxime codicem quique cum eo consentiunt secutus. Est enim in his libris codex secundae classis isque omnium fere pessimus, certe numquam audiendus ubi a Marciano, quem postea Sommerbrodtius contulit, gravius discrepat. Sed ex hoc quoque codice solius alterius classis lectiones disci possunt, quae etsi in his libris non nimis distare a priore videtur, tamen iustum et plenum apparatum ad Veram historiam non habebimus nisi adhibito Vaticano 76 aut alio prioris classis codice. Interim uti licebit iis quae textus ante Iacobitzium edi

[1]) Quaestionem sane gravem de ratione quae inter hunc codicem et Parisinum C eius simillimum intercedit, quam post alios tetigit Fritzschius, III, 1 pag. XVI, nunc omitto, quia neque de ordine codicis Parisini neque de singulis eius lectionibus neque de partibus e quibus consutus esse traditur ita constat ut cum fructu institui possit.

[2]) In programmate gymnasii oppidi Hadersleben anni 1865.

solitus et maxime codex Guelferbytanus F praebent, quibus inesse in his libris non nulla e priore codicum familia petita et olim suspicatus sum et nunc paucis quae e Vaticano 76 enotata habeo confirmatur. Perspexit hoc in non nullis Bekkerus, qui plura huius generis rectius constituit quam apud Iacobitzium factum est, quorum pleraque rursus pessumdedit Mehlerus, cum anno 1882 hos libros ederet[1]). Verae historiae adiungi possunt alia, de quibus tamen difficile plerumque est disputare, cum codices optimi nondum collati sint, neque nunc quaestionem de Gorlicensi in universum tractare in animo est, sed quatenus a prioris classis codice pendet. Hoc autem ita faciendum erit ut cum ceteris eiusdem classis libris conferatur. Iis de quibus supra disputavi accedit Marcianus 436 (Ψ), de quo supra non accuratius egi quia ad quaestionem de ordine non magni momenti est. Codex etsi scriptus est totus eadem manu[2]) (nisi quod Asini partem extremam foliis a librario omissis recentior manus addidit), tamen e duobus fontibus compositus est, quorum prior, etsi ordine prorsus turbato[3]) et interpolationibus et erroribus haud raro depravatus, sumptus est tamen totus e codice classis prioris, in altera parte multo

---

[1]) Bekkerum ubicumque contra Iacobitzium ad lectionem vulgatam rediit, non festinantem hoc fecisse credo, ut visus est Fritzschio (III, 2, LXV), et quasi per somnium sui exemplaris textum corrigere oblitum, sed scientem et volentem, loci sententia accurate examinata, propter rationes semper graves, plerumque veras, quas ex parte secutus est ipse Fritzschius, saepius etiam sequi debebat. Omnino Bekkerus mira illa iudicandi arte qua non Luciani solum editores omnes longe superavit tantum in hoc quoque scriptore praestitit ut ne nunc quidem, post tot novos codices adhibitos, post innumerabilem paene coniecturarum numerum repertum, ullus Luciani libellus apud ullum editorem rectius aut tutius legatur quam in editione Bekkeriana, quae non impune nunc a plerisque neglegi aut vituperari solet.

[2]) Aliter iudicavit Sommerbrodtius, Codicum Marcianeorum lectiones pag. IX, qui Lucianea quae codici insunt recte indicavit.

[3]) Tamen ordine prioris classis proprio se excipiunt quattuor libelli, Bis accusatus, Vitarum auctio, Rhetorum praeceptor, Piscator (cfr. supra pag. 20 et 22).

minore, quae ab Asino incipit, pleraque incerta sunt, Asinus ipse initio quidem e Vaticano 90 fluxisse videtur, Timon et Somnium mixtorum generi adscribenda sunt[1]). Longe principem autem inter codices classis prioris locum tenere constat Vindobonensem B, qui ab archetypi lectione non discrepare videtur nisi in levioribus, de multisque rectius et certius posset iudicari si integer aetatem tulisset. Nunc in multis libellis eius loco utendum est aliis, inter quos Vaticani 1324 et 76 ubi comparari possunt cum Vindobonensi ita cum eo consentiunt ut etiam ubi ille periit non exigua fides habenda illis sit, certe maior quam Marciano 436 et Gorlicensi, quorum uterque interpolatus est. Hanc observationem, etsi non pariter in omnes libellos cadit, in universum veram esse inveniet qui rem accuratius persequetur; nunc e Timone, in quo solo nunc licet Vaticanum 76 et Gorlicensem ex apparatu Fritzschiano comparare, proferam exempla pauca maxime insignia interpolationis in Gorlicensi admissae, ab illo alienae, cap. 16 *τὸ μέλλον* pro *τὸ ὅλον*, cap. 17 *ἐπ' ἔρωτι παίδων γνησίων* pro *ἐπ' ἀρότῳ παίδων γνησίων*, ubi in Ψ audacius etiam interpolatum est *ἐπαρῷτο παίδων γνησίων γενέσθαι πατήρ*, quae non recte intellexit Fritzschius; cap. 18 *ὁ φονεὺς* pro *ὁ Φινεύς*, cap. 28 *μεγαλοψυχία* pro *μεγαλαυχία*. Ubi igitur de prioris familiae scriptura e solo adhuc Gorlicensi constat, cavendum est ne eius interpolationibus decipiamur.

Lucianeorum codicum plerique e variis fontibus conglutinati sunt, neque ita solum ut alii libelli ex aliis codicibus peterentur sed etiam ita ut in singulis libellis

[1]) Rarissime praeterea accidit ut paulo maior libellorum numerus e codice prioris classis in recentiorem aliquem codicem transscriberetur. Unum hic affero Vaticanum 224, e cuius initio Somnium, cuius memoria in priore familia praeterea prorsus videtur deleta esse, cum fructu conferri fortasse poterit.

plures codices adhiberentur. Haec omnia persequi ingens labor esset et paene inutilis. Qui enim illos codices composuerunt usi sunt plerumque libris secundae classis, maxime ea libellorum parte cuius memoria nunc etiam plenissima extat, ut nullus inde fructus expectandus sit, multo rarius libris prioris classis, quod ubi fit, potest sane aliquid boni ex iis expectari, sed ne in his quidem multum, et adeo disiecta sunt quae inde peti possunt et cum aliis mixta ut nunc quidem, nondum explorata satis prioris classis memoria, inveniri vix possint. Huic mixtorum generi dubito num adscribendus sit codex Laurentianus 57, 51, saeculi, ut videtur et iudicavit Vitellius, undecimi, qui plura Luciani scripta continet[1]), quorum pauca quae examinare mihi licebat secundae classis memoriam quamquam libere tamen certo sequuntur; ordinis autem antiqui vestigia adeo nulla in hoc libro apparent ut de singulorum libellorum fonte nisi ipsis examinatis coniectura fieri non possit[2]). Omnium autem gravissima quaestio est de codice Vaticano 87, recentissima aetate scripto et foedissime interpolato, cuius tamen librarius

---

[1]) Accuratiora docet Bandinius in catalogo. Nuper de codice disputavit et Piscatoris collationem dedit integram Vitellius, Spicilegio Fiorentino pag. 18.

[2]) Mirum est dialogos deorum in hoc codice eo ordine legi quo scribi solent in familia priore, cum primus quidem et secundus eorum familiae secundae textum prorsus certo sequantur. Quam difficultatem cum certo expedire non possim, nolo coniecturam proferre in ea re quam facile fortasse poterit explicare qui codicem denuo examinabit. Utar potius hac occasione ut quo ordine dialogi minores in utraque familia scribi soleant tradam. Leguntur deorum dialogi in priore classe hoc ordine:

21. 22. 23. 24. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 8. 10—19 (ut in editionibus nostris). 25. 26 (de dialogo qui nunc est vicesimo cfr. pag. 6),

in secunda:

21. 22. 23. 24. 1. 2. 3. 5. 6. 4. 7. 9. 8. 10. 13. 14. 15. 16. 11. 12. 17. 18. 19. 25. 26;

dialogi marini in priore 1—15, ut in editionibus, in altera:

1. 2. 3. 4. 8. 9. 5. 6. 10. 11. 7. 12. 13. 14. 15;

ita bonis et antiquis fontibus usus est ut eo carere in verbis Luciani restituendis omnino non possimus, quamquam multo cautius quam fieri plerumque solet adhibendus est. Saeculo quarto decimo tribuitur codex a C. B. Hasio, recte fortasse, quamquam nescio an sit etiam recentior, cum Philostratus cum Luciano coniunctus et non nulla in libellis collocandis artificia[1]) sequens potius saeculum indicare videantur. Certum est eum qui codicem aut eius archetypum scripsit fuisse hominem doctum et sermonis Lucianei peritissimum, qui et codices quibus uteretur cum cura elegit et ea quae invenit saepissime immutavit aut sententiam corrigens aut orationis formam, quamquam in hoc negotio minime sibi constitit neque omnia pari libidine tractavit. Non numquam turpi modo in corrigendis scriptoris verbis erravit, cuius rei proferam pauca exempla, ut huius interpolatoris rationem illustrem. Pro Gargaro monte, cuius nomen non videtur novisse, scripsit *ἐν τῷ Δαρδάνῳ* (Dial. deor. IV, 2; I, 97, 8), quod nihil omnino est, pro Thucriti nomine, quod non intellexit (Dial. mort. VI, 4), ter reposuit Eucratem, quem e praecedente dialogo noverat, semel reliquit; pro Cnemone et Damnippo (Dial. mort. VIII) Adimantem (ita) et Dorionem substituit, pro Cirrha Cariam (Dial. mort. XI, 2; I, 366, 21),

---

dialogi mortuorum in priore familia 1—30, ut in editionibus, in secunda:

1. 22. 2. 21. 18. 20. 17. 26. 28. 3. 16. 14. 13. 4—11. 27. 29. 30. 12. 15. 19. 23. 25;

dialogi meretricii in priore familia hoc ordine:

1—5. 14. 15. 6—13,

in secunda 1—15, ut in editionibus.

Observatione dignum est Lucianum edidisse dialogos marinos XV, meretricios XV, deorum XXV, mortuorum XXX.

[1]) Libellus Pro imaginibus ipsas Imagines excipit, deorum dialogus primus, qui est Iovis et Promethei, a ceteris separatus ponitur post Prometheum, Charon, Traiectus, Menippus adscribuntur mortuorum dialogis, Dearum iudicium inseritur dialogis marinis post eorum quintum, in quo res in illo libello narratae tanguntur.

pro Eridano Oceanum (Dial. mort. XII, 2; pag. 367, 31, *τὰ μεγάλα ὄρη ὑπερβὰς τὰ περὶ τὸν Ἠρίδανον ἅπαντα κατέδραμον* dicitur ab Hannibale). Dialogo marino decimo narratur fabula de Apolline et Diana in insula Delo natis ita ut nominis insulae origo tecte sed satis perspicue significetur, *στῆσον ἤδη καὶ ἀνάφηνον καὶ ποίησον ἤδη δῆλον ἐν τῷ Αἰγαίῳ μέσῳ βεβαίως ἔχειν* (I, 89, 28), et in fine apertius *ἕστηκεν ἡ Δῆλος* (pag. 90, 9). Nihil de hac re videtur compertum habuisse interpolator, qui priore loco scripsit *λοιπὸν* pro *δῆλον*, ut oratio paulo elegantius procederet, altero *ἡ νῆσος*. Quid essent Homeri *ἔπη* cum nesciret, in Charone (cap. 23; I, 325, 5) scripsit *ἐπὶ τῇ μεγαληγορίᾳ τῶν λόγων*. In dialogo deorum undecimo (cap. 2, I, 106, 7) describitur Endymion dormiens *τῇ λαιᾷ μὲν ἔχων τὰ ἀκόντια ἤδη ἐκ τῆς χειρὸς ὑποῤῥέοντα;* observavit homo acutus iacula quae e manibus labuntur non iam teneri manibus et scripsit *οὐκ ἔχων*. Hannibal de se ipso praedicat (Dial. mort. XII, 3; I, 368, 11) *ἐγὼ δὲ ἦρξα ἐπ᾽ ἴσης τῆς πατρίδος καὶ ἐπειδὴ μετεπέμπετο τῶν πολεμίων μεγάλῳ στόλῳ ἐπιπλευσάντων τῇ Λιβύῃ, ταχέως ὑπήκουσα.* Interpolator neque ad *μετεπέμπετο* cogitandum esse *ἡ πατρὶς* intellexit neque rem compertam habuisse videtur; *ᾐσθόμην* igitur scripsit pro *μετεπέμπετο*.

Ex his similibusque exemplis, qualia multa congeri possunt, apparet summa cum cautione in hoc codice agendum esse; nam praeter plane inepta quae collegi habet etiam multa alia quae editorem decipere possunt et re vera deceperunt neque sine uberiore disputatione refutari possunt. Neque tamen dubitari potest quin librarius optimis plerumque fontibus usus sit, ita autem in hoc codice turbata sunt omnia ut de unoquoque libello seorsum iudicandum sit. Atque de longe plurimis ne potest quidem nunc iudicari, cum neque ex ipso codice multa adhuc collata sint neque ubique de ceterorum librorum memoria ita constet ut iusta comparatio institui possit. Totus est prioris classis in Charone et Menippo, totus secundae in Prometheo, in Alexandro initio prioris

deinde secundae, in ceteris de quibus iudicare licet variis modis mixtus est. Quo magis meliorum codicum, maxime prioris classis, lectiones innotescent, quoque certius de utriusque classis archetypo constabit, tanto magis recedent viri docti ab huius codicis aestimatione, cui principem in restituendo Luciano locum deferre erant qui non dubitarent. Inveniuntur tamen loci non nulli quibus errores in utriusque classis archetypo commissi in hoc solo codice[1]) ita corrigantur ut librarium sequi fontem ab utriusque classis memoria diversum certum sit. Accuratius tamen examinanti apparebit huius rei exempla certa non inveniri nisi in dialogis marinis, deorum, mortuorum[2]). Iam cum dialogos minores ab utraque codicum familia antiquitus alienos fuisse videri supra exposuerim, minus mirum est eorum exemplo quo seorsum a ceteris et ex parte rectius scripti ferebantur etiam eum librarium usum esse qui huius codicis archetypum conscripsit, cavendumque ne id quod de his dialogis recte observatur

---

[1]) Pauci extant libri, recentissimi omnes, quantum scio, et pauca Luciani scripta continentes, qui ita cum Vaticano 87 conspirant ut tuto omitti possint.

[2]) De meretriciis nihil compertum est. Ipsa exempla omitto, quoniam sumi facile possunt ex editione Fritzschiana (Dial. deor. XII, 2, XXIV, 1, ubi conferenda est Fritzschii praefatio pag. VII, marini VII, 2, mortuorum I, 2). Recte huius codicis maius additamentum quamvis speciosum spreverunt Fritzschius et Sommerbrodtius (Dial. mort. IX, 4; I, 364, 4), ubi post verba *οὐ μὰ Δί', ἀλλὰ νεώνητόν τινα τῶν μειρακίων τῶν ὡραίων Φρύγα* in Vaticano 87 additur *ἢ Λυδόν, ὃς πάντα μοι ἐχαρίζετο καὶ συνῆν παρ' ὅλην τὴν νύκτα ποικίλως τερπνότατος ὤν.* Neque tamen sine causa hic tradita immutavit librarius, cum neque sermo recte procedat illo loco neque orationis forma ferri possit nisi deletis verbis *τῶν μειρακίων τῶν ὡραίων*, quos licet fortasse probabiliter in alium locum transferre ut haec evadat sermonis forma: *ΣΙΜΥΛΟΣ. τίνα δὲ αἱ τελευταῖαι τὸν κληρονόμον ἔσχον; ἢ πού τινα τῶν ἀπὸ τοῦ γένους. — ΠΟΛΥΣΤΡΑΤΟΣ. Οὐ μὰ Δί', ἀλλὰ νεώνητόν τινα Φρύγα. — ΣΙΜ. ἀμφὶ πόσα ἔτη, ὦ Πολύστρατε; — ΠΟΛ. σχεδὸν ἀμφὶ τὰ εἴκοσι. — ΣΙΜ. τῶν μειρακίων τῶν ὡραίων; ἤδη μανθάνω ἅτινά σοι ἐκεῖνος ἐχαρίζετο.* Sommerbrodtium video iam delevisse *τῶν μειρακίων*, qua coniectura difficultas aliquatenus levatur neque tamen tollitur.

ad omnia Luciani scripta pertinere putemus. Illud autem quaeri potest num in aliis etiam codicibus similis memoriae reliquiae extent. Nihil huius generis adhuc prolatum est neque ego quidquam certi proferre possum praeter unum locum in quo sane notabilis est codicum ratio. In mortuorum dialogo primo Diogenes a Polluce petit ut mandata quaedam ad Menippum aliosque perferat illumque ubi facillime possit invenire his verbis significat (I, 353, 21): *Εὕροις δ' ἂν αὐτὸν ἐν Κορίνθῳ κατὰ τὸ Κράνειον ἢ ἐν Λυκείῳ τῶν ἐριζόντων πρὸς ἀλλήλους φιλοσόφων καταγελῶντα.* Quae quamquam ferri possunt neque adhuc cuiquam offensioni erant, tamen neque oratio satis est concinna et aegre desideratur verbum quo quid in Craneo facere solitus sit Menippus indicetur, vix enim probabile est Cranei mentionem fecisse Lucianum nisi ad rem aliquam lepidam in auditorum memoriam revocandam. Iam cum *ἡλιαζόμενον* post *τὸ Κράνειον* addat Vaticanus 87, minime spernendum hoc mihi videtur; hoc enim qui audiebat non poterat non meminisse notissimae illius de Alexandro rege et Diogene philosopho in eodem Craneo convenientibus narratiunculae[1]), in Menippum autem vivum sua hic transferre Diogenem mortuum olim recte observavit Hemsterhusius. Itaque hunc codicem sequi non dubitarem, nisi aliud etiam praeberet codex Palatinus 73, quem ex Vaticano 90 alio tamen fonte adhibito descriptum esse videri supra dixi. Habet enim a prima manu *ηλιθεροῦντα*, quod per se nihil est, procul dubio autem depravatum ex *εἱλιθεροῦντα* vel *εἱληθεροῦντα*, verbo hic aptissimo neque vulgari, quod ut nimis antiquum irrisit ipse Lucianus in Rhetorum praeceptore (cap. 17; I, 71, 34), usurpaverunt tamen eiusdem aetatis scriptores Philostratus (Vit. Apoll. 6, 6) et Galenus saepius. Itaque mihi quidem verum illud videtur[2]). Minus

[1]) Testimonia collegit Zellerus in historia philosophiae II, 1³ pag. 244.

[2]) Idem invenisse videtur qui saeculo duodecimo Timarionem scripsit, in quo (c. 44, Ellissen, Analecten der mittel- und neugriechi-

certa res est in eiusdem dialogi fine (I, 354, 34). Diogenem Lacedaemonios vituperantem interpellat Pollux his verbis: *Μηδέν, ὦ Διόγενες, περὶ Λακεδαιμονίων λέγε· οὐ γὰρ ἀνέξομαί γε. ἃ δὲ πρὸς τοὺς ἄλλους ἔφησθα, ἀπαγγελῶ*, ad quae ille respondet *ἐάσωμεν τούτους, εἴ σοι δοκεῖ.* Frigida sunt Pollucis verba et neglegenter dictum illud *ἃ δὲ πρὸς τοὺς ἄλλους ἔφησθα* de mandatis Polluci ad ceteros homines traditis, quamquam confitendum est huius modi vitia occurrere apud Lucianum. Praestat tamen quod est in Vaticano 87 *οὐ* (errore depravatum in *οὐδὲ*) *γὰρ ἀνέξομαί γε οὐδὲ πρὸς τοὺς ἄλλους ἃ ἔφησθα ἀπαγγελῶ* „Si Lacedaemoniis pergis male dicere, ne ceteris quidem quae mandasti tradam". Rursus accedit Palatini testimonium, qui a prima manu *οὐδὲ* pro *ἃ δὲ* habet, neque tamen certum est id quod per se praestat Luciano tribuendum esse.

schen Litteratur IV, 1 pag. 88) Diogenes dicit: *Ἀλέξανδρος μὲν ὁ Φιλίππου ὁ πᾶσαν τὴν Ἀσίαν ὡς ἔπαυλιν μικρὰν δουλωσάμενος, προσελθών μοι κατὰ τὴν Κόρινθον εἰληθερουμένῳ παρέστη.*

V.

Plerique eorum qui ultimis annis Luciani libellis operam dederunt ita rem agere solent quasi e sola emendatione his libris salus petenda esset. Quid praestiterit et pro re nata praestare potuerit divinatio „vere divina“, ut aiunt, quae tamen haud raro in Luciani scriptis satis mortaliter erravit, infra videbimus. Nunc de recensendi negotio agam, cuius summae partes sunt in Luciani scriptis, maxime iis quae plerumque legi solent. Libellorum enim qui in partibus A et D traduntur duas accepimus codicum familias, quae in aliis non multum in aliis gravissime inter se discrepant. Res satis nota est iis qui Luciani scripta tractant neque poterat de summa re dubitatio esse post adhibitos libros Vindobonensem et Gorlicensem. Ne eligendi quidem in singulis negotium nimis difficile est, licetque satis tuto in universum eam legem sequi ut a communi archetypo, quod ipsum quoque depravatum erat, prior classis non deflectat nisi verbis omittendis (quod in non nullis opusculis saepissime accidit), scribendi erroribus plerumque vulgaribus, denique eo interpolandi genere quod in ipso scribendo nascitur et ne ab optimis quidem libris alienum est. Consilium autem et libidinem interpolandi, qualia in secunda classe saepissime occurrunt, in priore non invenimus. Itaque ne ea quidem e secunda familia recipienda sunt quae per se spectata placere possint; fatendum enim est eum qui secundae classis textum constituit fuisse hominem sermonis Graeci et sermonis proprie Lucianei peritissimum, qui scriptoris orationem non ita raro meliorem reddidit, plerumque reposuit quae

satis bene ferri possunt. Haec ut in universum vera et certa sunt, ita de singulis haud raro dubitari potest, neque umquam continget ut omnia pro certo diiudicentur. Eo magis est optandum ut Lucianus cum apparatu critico ita edatur ut quivis facile et cito utriusque classis lectiones videre et comparare possit. Ut autem res ipsa illustretur, utile mihi visum est in uno dialogo rem persequi. Elegi Gallum, non quod nimis delector hoc dialogo (immo mihi quidem pueriliter confictus neque bene scriptus videtur, neque quidquam magis iustae scriptoris aestimationi obesse quam quod talia admirari, multo meliora plerumque ne legere quidem solent), sed quia in hoc libello utriusque classis ratio optime perspicitur licetque non nulla rectius constituere quam fecit Fritzschius anno 1862, quem ipsum postea de multis aliter iudicaturum fuisse suspicor[1]).

Secundae classis ad hunc libellum collatus est codex Florentinus, qui hic totus fere (inde a capite quinto) est antiquus, in editione Fritzschiana; Marcianus a Sommerbrodtio, Vaticanus 90 ab eius amico, quem sane dolendum est inter librarii et correctoris manum non ea peritia distinxisse qua in Nigrino in eiusdem Sommerbrodtii usum rem absolvit Studemundius; dubitari enim non potest quin multa ab hac manu correcta sint secundum exemplar classis prioris. Saepius collatus est codex Gorlicensis, unicus adhuc prioris classis testis. Accedit nunc Vaticanus 1324, quem contuli, continens Gallum totum excepto initio (usque ad caput tertium)[2]). Non multa habet nova, sed necessario adhibendus est ad iudicium de utriusque classis discrimine recte faciendum. Cum enim ex eodem cum Gorlicensi fonte sumptus sit, discernere ex eo possumus quaenam lectiones Gorlicensis

[1]) A Fritzschii textu non numquam iure recessit Sommerbrodtius in editione librorum selectorum (II pag. 32 sq.), in paucis Meblerus in editione anni 1882.

[2]) Non nulla bona praebet etiam codex Guelferbytanus G, cuius ope tamen carere licet melioribus fontibus adhibitis.

propriae quaeque prioris classis archetypo tribuendae sint, certoque licet statuere, quaecumque alteruter horum codicum habet consentientia cum secundae classis libris, ea ad commune archetypum redire, cum neuter eorum praeter fontem primarium alio libro usus sit. Non nulla depravata sunt etiam in Vaticano, sed minuta fere omnia neque commemoratione digna. Contra saepius conspirat Vaticanus cum secunda familia, ubi nulla iam fides est habenda Gorlicensi. Habet cum secunda familia recte cap. 4 *δύο μοι τετηρηκέναι δοκῶ πάνυ ἀλλότρια ἐν σοί*, ubi verborum collocatio mutata est in Gorlicensi, quem sequitur Fritzschius, cap. 5 *καὶ οὐκ ἀπόῤῥητος*, non *καὶ ἀπόῤῥητος*, cap. 9 *αἰῶνα μήκιστον*, non *μέγιστον*, cap. 10 *ἐχρέμπτετο μύχιόν τι*, ubi alia sine idonea causa Fritzschius novavit quae iure sprevit Sommerbrodtius, eodem capite *λελουμένος*, non *λελουμένως*, cap. 12 *ἀένναόν τε*, non *ἀένναόν τι*, cap. 13 *ἐξημμένος τῶν βοστρύχων*, non *τῶν βοστρύχων ἐξημμένος*, cap. 14 *Σίμωνα, ἥψησα, ληζομένους* (non *ἀκιζομένους*), *οἰκέτας καὶ ζεύγη*, in fine capitis *ὦ χρυσέ, δεξίαμα* (ceteri codices recte *δεξίωμα*) *κάλλιστον κτέαρ*, quod quamquam non verum est tamen videtur fuisse in archetypo, cum classis secundae codices habeant *κτέρας*, Gorl. verbum minus notum plane omittat; cap. 16 *ἐπεὶ δ' Εὔφορβος ἐγενόμην*, non *ἔπειτ' Εὔφορβος ἐγενόμην*, c. 17 *ἄχρις*, ut videtur recte, cum Gorl. habeat *ἄχριος*, secunda classis *ἄχρις δή; οὐδὲ συνηνέχθην*, ut recte scripsit Bekkerus, non *οὐδὲν συνηνέχθην* quod nunc praeferunt, c. 18 *τἀληθεῖ λέγειν*, errore solito scriptum pro *τἀληθῆ*, quod est in secunda familia, depravatum in Gorl. in *τἀληθές; αὐτοῖς* (non *αὐτοῦ*), *ἀπολιμβάνοις* errore scriptum pro *ἀπολιμπάνοις*, cum Gorl. habeat *ἀπολιμπάνεις*, c. 19 *ἔκνες ἀπ' αὐτοῦ*, non *ὑπ' αὐτοῦ*, *ὤπνιεν*, non *ὤπηεν* (secunda classis *ὤπνεν*), c. 20 *ἐγέλας ἂν ἐπὶ σαυτῷ*, non *ἐγέλας ἂν αὑτῷ*, cap. 21 *οὐκοῦν, ὦ ἀλεκτρυών, ἐπειδὴ πάντων σχεδὸν τῶν βίων ἐπειράθης καὶ πάντα οἶσθα*, non *καὶ πάντα ᾖσθα*, quod editores omnes perperam e Gorlicensi sumpserunt, c. 22 *κατεχαλάζησας*, non *κατεκχαλάζησας*,

ὀρύξας, ubi cum secunda familia scribendum erit *διορύξας*, Gorl. habet *διορέξας*, c. 24 *ποίου ποτ᾽ ἐπειράθης τοῦ βίου ἐκείνου* (quod rectius scribitur quam *ποίου τότ᾽ ἐπειράθης* cum Gorlicensi, *ποίου τινὸς ἐπειράθης* cum familia altera, aut *ποίου ἐπειράθης* cum Fritzschio), *κάλλει πόλεων*, non *κάλλει τῶν πόλεων*, *ἐκείνοις μὲν τῆς ἀγνοίας*, non *τοῖς ἀγνοίας;* cap. 26 habet verba in Gorlicensi omissa *ἀσφαλέστερον σκυτοτομεῖν ἐπικεκυφότα ἢ πίνειν ἀπὸ χρυσῆς φιάλης*, eodem capite *κατὰ λόγον τοῦ ποδός*, non *τοῦ παιδός*, c. 28 *οὔπω δύναμαι ἀπομαθεῖν*, cum *οὐ* sit in Gorl., *οὐδέπω* in familia altera, *εἶχον* semel scriptum (errore repetitum in Gorl.), *τοιχωρυχεῖν*, non *τοιχωρυγεῖν*, *δύ᾽ ἐστί σοι τοιαῦτα*, non *μοι*[1]), *ἤν τι τοιοῦτον* cum Vaticani 90 manu altera et Guelferbytano, cum Gorl. habeat *ἤν τινα τοιοῦτον*, secunda classis *ἢν τοιοῦτον*, cap. 29 recte *ἰδοὺ δή*, non *ἰδοὺ ἤδη*, *ὠψωνηκέναι*, non *ὠψονηκέναι*, *φυλάττειν*, non *διαφυλάττειν*, *κίων*, non *κύων*[2]), cap. 31 *ὃν δεήσῃ* (pro vero *ὃν δεήσει*), non *ἂν δεήσῃ*. Licebit igitur initio quoque libelli, ubi Vaticanus desideratur,

---

[1]) In secundae classis archetypo utrum fuerit *σοι* an *μοι* dici non potest. Verum esse *μοι* totumque locum ita scribendum ut scripsit Bekkerus (I, 421, 33), ad quem proxime accessit Sommerbrodtius, certum mihi videtur. Fritzschius anacoluthon, quod oratione interpellata satis excusatur, ferri posse negans coniectando talem orationem effinxit: *Ἤν τινι τῶν οὐραίων πτερῶν τὸ μήκιστον, ὃ δι᾽ ἁπαλότητα ἐπικαμπές ἐστι (δύο δ᾽ ἔστι μοι τοιαῦτα) τὸ δεξιὸν τοίνυν, ὅτῳ ἂν ἐγὼ ἀποσπάσαι παράσχω* e. q. s. Perplexa haec sunt et contorta neque Lucianum decent, qui etiam in iis quae neglegentissime scripsit id semper praestitit ut sermonis cotidiani simplicitatem et facilitatem felicissime imitaretur.

[2]) Locum qui in editionibus non recte scribitur, licet personarum mutatione sanare, *ΣΙΜΩΝ . . . . τίς οὗτος; ὁρῶ σε τοιχώρυχε. — ΜΙΚ.* (dum Simo contra furem quem putat proruit) *μὰ Δί᾽ ἐπεὶ κίων γε ὢν τυγχάνεις. — ΣΙΜ.* (errorem agnoscens) *εὖ ἔχει. ἀριθμήσω αὖθις* etc. Lusit nuper in toto hoc loco Kockius (in museo Rhenano anni 1888 pag. 44), neque profecto lusum elegantem. Nam multo melius rem scripsit Lucianus, suis, ut mihi videtur, verbis, quam comicus ille a Kockio fictus, in cuius verbis transponendis et immutandis omnem scriptoris artem contineri priorum errores imitatus hic vir doctus voluit.

soli Gorlicensi imputare quod capite primo legitur φῄμην τι χαριεῖσθαί σοι προλαμβάνων τῆς νυκτὸς ὁπόσον ἂν δυναίμην, receptum sane ab editoribus, quamquam verum esse non potest recteque Marcianus quidem et Vaticanus 90 (Florentino hic nulla est auctoritas) ἂν omittunt, quodque capite altero, loco praeterea difficillimo, in Gorlicensi scribitur εἰ ἡ τῆς Ἀργοῦς τρόπις ἐλάλησεν pro εἴ σοι ἡ τῆς Ἀργοῦς τρόπις ἐλάλησεν.

Apparet haec exempla omnia excipienda esse si ea colligimus quae depravata sunt in familia priore, recte tradita in secunda. Huius generis locorum non ita magnus restat numerus, et errores classis prioris, ut iam dixi, ubique levioris et soliti generis sunt. Omittuntur verba τὸν ἄνθρωπον post τερατουργὸν cap. 4, cap. 6 ἡδίστοις post τοῖς, cap. 8 ut videtur πρότερον, cap. 10 articulus ante Eucratis nomen eodemque capite σοι post τι, c. 15 ἐν post παθεῖν, c. 17 ὢν in verbis ἄσιτος ὢν ὦ τάν, ubi recte Bekkerus familiam alteram sequi maluit, c. 23 verba ὡς νοτίζεσθαι ἐνίοτε τὸν κηρὸν propter sequens ὡς τὸ πολύ[1]), cap. 26 in verbis τῆς τομῆς τῆς ἐπ᾽ εὐθὺ alterum τῆς, fortasse etiam ὅτ᾽ ante οὐδὲν ὄφελος cap. 3, ἐκείνων post γιγνομένων cap. 17. Semel peccatum est in verborum collocatione, cap. 32 scripto ἔμπροσθεν μικρὸν pro μικρὸν ἔμπροσθεν, semel (c. 22) inseritur vocula ἐς post κατεχαλάζησας. Neque gravius peccatum est litterarum permutationibus. Scribitur ἧτις pro εἴτις (cap. 25), ἀναγκάσῃς pro ἀναγκάσεις (cap. 28), δεήσῃ pro δεήσει (c. 31), κρηπῖδας συντελέσας pro κρηπῖδα συντελέσας (c. 22), ἀναμαρυκώμενον pro ἀναμηρυκώμενον (c. 8), ἐξελακέναι sive ἐξηλακέναι pro ἐξεληλακέναι (c. 11), ἀλλ᾽ ἐμὲ ἐλύπει pro ἀλλ᾽ ἔν με ἐλύπει (c. 11), ἑλοίμην pro εἱλόμην (c. 18), καὶ εἴ τι pro καίτοι τι (c. 28), ἀναλάβω

---

[1]) Non recte Herwerdenum haec verba delevisse apparet comparatis cum hoc loco duobus in eadem comparatione versantibus, Imag. c. 29 (II, 188, 18) et Pro imag. c. 8 (II, 191, 5), quorum alter alterum ita illustrat ut ipsum illud πρόσγειον habeat, cum in priore legantur alae maris undis adspersae.

pro *ἂν λάβω* (c. 29), fortasse etiam, si quidem alterius classis lectio illis locis praeferenda est, *μέταλλα ὅλα χρύσεια* pro *μέταλλα ὅλα χρυσίου* (c. 6), *ὑπὸ μάλην ἔχων* pro *ὑπὸ μάλης ἔχων* (c. 14), *ταὐτὸν* pro *ταὐτὰ* (c. 18), *συνεῖς* i. e. *συνῇς* pro *συνῇσθα* (c. 19), *ἤνπερ* pro *ἤντε* (c. 21), *τυραννήσεις* pro *τυραννεῖς* (c. 22), *τριγχίον* pro *θριγκίον* (c. 22).

Paulo maior erit errorum in priore familia admissorum numerus, si Fritzschii editionem sequimur, sed his omnibus locis non recte Fritzschium textum constituisse puto. Vix opus est rem persequi, quoniam Fritzschius ipse in iis libellis quos postea edidit pressius priorem classem secutus est, multa etiam correxit Sommerbrodtius, quaeque restant ita plerumque comparata sunt ut per se utrumque ferri possit, universa autem prioris classis ratione eo ducamur ut eam potius sequamur. Sunt tamen non nullae lectiones plane certae et egregiae, aut omnino non receptae aut a novissimis editoribus spretae, velut cap. 1 *ᾤμην τι χαριεῖσθαί σοι προλαμβάνων τῆς νυκτός, ὁπόσον δυναίμην*, receptum a solo Mehlero, ubi *φθάνων*, quod in secunda familia traditur, non apte videtur dici, *φθονῶν*, quod ex eo coniecit Sommerbrodtius, minime placet, neque facile concedet qui secundae classis rationem perspexerit quod ille dicit (Lucianea pag. 142): „Dass *φθόνων* nicht eine Glosse zu *προλαμβάνων* sein kann, liegt auf der Hand". Verum est omnino, quidquid praeterea de illo loco iudicatur, et coniectura, nisi traditum esset, reponendum erat, cap. 13 *καὶ ἐν πολέμῳ*, non *καὶ ἐν τῷ πολέμῳ*; in universum enim dicitur, aurum bello multo minus etiam utile esse quam aliis temporibus[1]). Cap. 6 non est quod

---

[1]) Tota sententia ita videtur mihi sine graviore offensione scribi posse e prioris classis memoria: *Οὐκ ἐγὼ μόνος, ὦ Πυθαγόρα, τοῦτο, ἀλλὰ καὶ σὺ αὐτός, ὁπότε Εὔφορβος ἦσθα, χρυσὸν καὶ ἄργυρον ἐξημμένος τῶν βοστρύχων ᾔεις πολεμήσων τοῖς Ἀχαιοῖς οὕτω· καὶ ἐν πολέμῳ, ἔνθα σιδηροφορεῖν μᾶλλον ἢ χρυσοφορεῖν ἄμεινον ἦν, σὺ δὲ καὶ τότε ἠξίους χρυσῷ ἀναδεδεμένος τοὺς πλοκάμους διαγωνίζεσδαι.*

offendamur hac orationis forma: Ἐμοὶ δὲ διὰ χρυσῶν τινων πυλῶν ὁ ἥδιστος ἀφίκετο, χρυσοῦς καὶ αὐτὸς, χρυσᾶ πάντα περιβεβλημένος καὶ πολὺ ἐπαγόμενος τὸ χρυσίον, quae certe non emendatur si ante χρυσᾶ cum familia altera copulam addimus. Saepius hac ratione peccatum a Luciani editoribus est, numquam fortasse gravius quam in his Promethei verbis (c. 2, I, 76, 12): Ἀλλ' ὄρεγε τὴν δεξιάν, σὺ δὲ ὦ Ἥφαιστε κατάκλειε καὶ προσήλου. — τὴν σφῦραν ἐῤῥωμένως κατάφερε. — δὸς καὶ τὴν ἑτέραν, κατειλήφθω εὖ μάλα καὶ αὕτη. — εὖ ἔχει, καταπτήσεται δὲ ἤδη e. q. s. Ita enim scite rem instituit scriptor ut e Mercurii verbis ipsum Vulcanum quasi opus facientem videre liceat, quod perit, si cum familia altera et editoribus καὶ post κατάκλειε καὶ προσήλου addimus[1]). Eadem ratione periit vis omnis et acerbitas eorum quibus in fine Bis accusati (II, 17, 35) Lucianus adversarium, quem toto libello petivit, apertius incessit, quae longe aliter atque fieri solet constituenda esse mihi videntur, βαβαί, δέκα ὅλαις κρατεῖς. ὁ γὰρ αὐτὸς ἐκεῖνος ὁ πάλαι οὐδὲ νῦν ὁμόψηφός ἐστιν. ἀμέλει τοῦτο ἔθος ἐστὶ καὶ πᾶσι τὴν τετρυπημένην οὗτος φέρει. μὴ παύσαιο φθονῶν τοῖς ἀρίστοις. ἀλλ' ὑμεῖς μὲν ἄπιτε ἀγαθῇ τύχῃ, αὔριον δὲ τὰς λοιπὰς δικάσομεν[2]). Ut ad Gallum redeam, praefero etiam κατακοιμηθῆναι omisso μὲν cap. 3, σὺν (non ἐν) τριβακῷ τῷ τρίβωνι cap. 9, τὸν δὲ πλοῦτον ἐκεῖνον ὑπήνεμον φέρεσθαι παρεσκευάσας διασκεδάσας cap. 12, ἐκόκκυζον, μόνον ὅ τότε δυνατὸν ἦν cap. 14 (secunda classis ὅ μόνον μοι τότε δυνατὸν ἦν), μὴ ἀνάκρινε τὰ τοιαῦτα cap. 18 (pro ταῦτα), ὁ δὲ φεύγει αὐτίκα φοβηθείς (familia altera addit σέ) cap. 23, ὅμοιος τρόπος θανάτου cap. 25 aliaque non nulla leviora. Omnium

[1]) Comparari potest Dial. mort. X, 10 (I, 365, 9) et Piscat. c. 48 (I, 282, 19). Diversa est ratio eorum quae leguntur Dial. mar. X, 2 (I, 90, 3).

[2]) Τοῦτο et καὶ πᾶσι dant codices omnes, φέρει omnes praeter Gorlicensem, in quem φέρειν interpolatione illatum est, μὴ παύσαιο libri prioris classis, cum in secunda sit καὶ μὴ παύσαιτο. Contra οὗτος recepi e secunda familia, cum prior habeat οὕτως.

minime autem probabile est in gravioribus verborum permutationibus, quales inter utramque classem saepissime occurrunt, umquam veram archetypi lectionem in secunda familia contra priorem servatam esse. Restituendum igitur *προλαμβάνων* pro *φθάνων* (cap. 1), de quo iam dixi, *βεβρώκεις* pro *ἐδηδόκεις* (c. 4), *ἐξίασιν* (c. 6) et *πρόσεισιν* (c. 23) pro *ἐκφοιτῶσιν* et *ἐπιβουλεύει*, *ἀνελευσόμενον* (c. 3) et *περιελεύσομαι* (c. 29) pro *ἀνατέλλοντα* et *περίειμι*[1]).

Gravioris interpolationis exempla aliena esse ab eo qui prioris familiae archetypum scripsit satis apparet. Contra in altera vel obiter apparatum criticum inspicienti adeo multa eius rei exempla occurrunt ut singula afferre inutile sit. Ne certa quidem ratio in interpolatoris mutationibus inveniri potest. Licet sane non numquam suspicari eum pro verbo rariore magis usitatum posuisse (velut *ἀποκναίοντι* pro *ἀποπηγνύντι* c. 1, *προάγοντα* pro *ἀναπλάττοντα* c. 8, *τῇ ἀσιτίᾳ*, quod non male excogitatum est, pro *τὴν ἄσην* c. 23, *προσκρούσας* pro *κενεμβατήσας* c. 26), omisisse quae non intellexit (c. 24 *χρυσὸς* pro *χρυσὸς ὁ κοῖλος*), verborum sonui consuluisse vitando repetitionem (*ἐν πενιχρῷ τῷ τρίβωνι* pro *σὺν τριβακῷ τῷ τρίβωνι* c. 8) aut verborum collocatione minus vulgari orationis vim, saepius ne inscite quidem, augendo (c. 5 *τῆς μεταβολῆς ἀπολέλαυκα ἑκάστης* pro *τῆς μεταβολῆς ἑκάστης ἀπολέλαυκα*, c. 13 *ὁ δὲ πάντων θεῶν πατὴρ καὶ ἀνδρῶν* pro *ὁ δὲ πατὴρ ἁπάντων θεῶν καὶ ἀνδρῶν*, hoc quidem nequaquam inepte), locum depravatum correxisse (c. 20 *ὑπερευδαιμονεῖν ἀεὶ τὸν πλούσιον* pro *ὑπερευδαίμονα εἶναι τὸν πλοῦτον*, ubi coniecerim *ὑπερεύδαιμόν τι εἶναι τὸν πλοῦτον*); sed alia cur mutaverit nemo probabiliter explicabit, velut c. 28 *λέγειν* pro *εἰπεῖν*, c. 27 *ἐπιτηδεύετε* pro *ἐννοεῖτε* (ubi ne illud quidem scio cur Fritzschius, Mehlerus, Herwerdenus scribant *ἐπινοεῖτε*,

---

[1]) Certe ita in communi archetypo scriptum fuisse mihi persuasum est; de ipsius Luciani manu in talibus non adeo constat.

quod ab huius loci sententia plane alienum est)[1], *ὀρθρευόμενος προανύειν* pro *ἐπορθρευόμενος ἀνύειν* c. 1, *μεμηχάνητο* pro *πεποίητο* c. 3 et similia multa. Ad litterarum similitudinem in talibus raro attendit; ubi fecit, minus feliciter plerumque ei mutatio cessit, ut in verbis cap. 27, *τελώνην δὲ ἵππον ἢ συκοφάντην βάτραχον ἢ ὀψοποιὸν κώνωπα*, ubi pro *ὀψοποιόν*, quod non intellexisse videtur, *ὑψιπέτην* ex Homero sumpsit, sententiam prorsus pervertens. Aliis locis totam sententiam de suo effinxit. Capite primo Gallus dicit, si Gorlicensem sequimur, *ἣν γοῦν πρὶν ἥλιον ἀνίσχειν μίαν κρηπῖδα ἐργάσῃ, πρὸ ὁδοῦ ἔσῃ τοῦ ἐς τὰ ἄλφιτα πεπονηκώς*. Corrupta haec sunt neque placet quod editores scribunt omnes, *πρὸ ὁδοῦ ἔσῃ τοῦτο ἐς τὰ ἄλφιτα πεπονηκώς*[2]), tamen dubitari non potest quin a prioris classis lectione in hoc loco restituendo proficiscendum sit, neque nobis licebit ita facile emen-

---

[1]) *Ἐννοεῖν*, quod etiam Bekkerus sprevit, est proprie nostrum „im Sinne haben", diciturque hic aptissime de iis rebus quae hominibus maxime cordi esse solent. Contra *ἐπινοεῖν* potius de certa aliqua re dici solet ad quam animus intenditur proximeque accedit ad nostra „einen Einfall haben, ausdenken, beabsichtigen"; apud Lucianum autem est etiam „cogitando assequi", nostrum „begreifen, sich vorstellen", qua significatione veteres *νοεῖν* aut *ἐννοεῖν* potius dixerunt, De merc. cond. c. 22 (II, 133, 35) *οὐδ' ἐπινοῶ ἅτινα ἔφησθα τὰ καματηρὰ καὶ ἀφόρητα*, Alexander c. 4 (II, 73, 8) *ὅλως γὰρ ἐπινόησόν μοι καὶ τῷ λογισμῷ διατύπωσον ποικιλωτάτην τινὰ ψυχῆς κρᾶσιν*, c. 16 (II, 77, 15) *εἶτά μοι ἐπινόησον οἰκίσκον οὐ πάνυ φαιδρόν*, Icaromen. c. 8 (I, 158, 34), *καίτοι πρό γε τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως ἀδύνατον καὶ χρόνον καὶ τόπον ἐπινοεῖν*, ubi *ἐννοεῖν* non videtur esse nisi in libris interpolatis. Tria praeterea horum verborum exempla inveni quae offensioni essent, Nigrin. c. 5 (II, 300, 25) *καὶ ὅλως μικρὸν οὐκέτι οὐδὲν ἐπινοῶ*, quod re vera non est Luciani sed Thucydidis (II, 8) ab eoque propria significatione dictum (cfr. Somnium I, 6, 29 *ἐλευθέριον οὐδὲν ἐπινοῶν*), et Prom. min. 3 (II, 18, 27) et Traiectus c. 19 (I, 333, 36), quorum utroque loco recte Herwerdenus *ἐπινοεῖν* pro *ἐννοεῖν* reposuisse mihi videtur.

[2]) Malim *πρὸ ὁδοῦ ἔσῃ τὰ ἐς τὰ ἄλφιτα πεπονηκώς*, ut *πρὸ ὁδοῦ ἔσῃ τὰ ἐς τὰ ἄλφιτα* similiter dictum sit loco Hermotimi (cap. 1; I, 170, 7) *ὃ πρὸ ὁδοῦ σοι γένοιτ' ἂν ἐς τὰ μαθήματα*.

dationis officio defungi ut fecit secundae classis interpolator, scribens ἡ (videtur voluisse ἦ) γοῦν πρὶν ἀνατεῖλαι ἥλιον μίαν κρηπῖδα ἐξεργάσαιο, ἵν' ἐσθίῃς τὰ ἄλφιτα πεπονηκώς. Nulla necessitate coactus mutavit quae de regibus dicit gallus c. 25 ὁ μὲν γοῦν ὑπὸ τοῦ παιδὸς ἀπέθανεν ἐκ φαρμάκων. Cum enim gallus antea dixisset se ipsum olim regem fuisse, magis ei placuit scribere ἐγὼ γοῦν ὑπὸ τοῦ παιδὸς ἀπέθανον. Mirum in modum auxit orationem cap. 4, ubi haec traduntur in utraque familia:

In priore	In altera
ΜΙΚ . . . . . ἔτι δὲ πείθων τοὺς ἀνθρώπους, ὡς πρὸ τοῦ Πυθαγόρου Εὔφορβος γένοιτο. γόητά φασι e. q. s.	*ΜΙΚ* . . . . . ἔτι δὲ πείθων τοὺς ἀνθρώπους ἐς πέντε ἔτη μὴ διαλέγεσθαι. — *ΑΛΕΚ.* ἴσθι δῆτα ἐκεῖνον, ὡς πρὸ τοῦ Πυθαγόρου Εὔφορβος γένοιτο. — *ΜΙΚ.* γόητά φασι etc.

De hoc loco nulla omnino est dubitatio. Contra de alio non minus graviter corrupto (c. 16) non recte iudicari video. Gallus fata sua enarrans interpellatur a sutore:

In priore familia	In altera
ΑΛ . . . . ἐπεὶ δὲ Εὔφορβος ἐγενόμην — *ΜΙΚ.* τοῦτό μοι πρότερον εἰπέ, εἰ κἀγώ ποτε ἠλλάγην ὥςπερ σύ. — *ΑΛ.* καὶ μάλα. — *ΜΙΚ.* τίς οὖν ἦν; — *ΑΛ.* μύρμηξ Ἰνδικὸς τῶν τὸ χρυσίον ἀνορυττόντων. — *ΜΙΚ.* εἶτ' ὤκνουν ὁ (traditur ὦ) κακοδαίμων κἂν ὀλίγα τῶν ψηγμάτων ἥκειν ἐς τόνδε τὸν βίον ἐξ ἐκείνου ἐπισιτισάμενος.	*ΑΛ* . . . . ἐπεὶ δὲ Εὔφορβος ἐγενόμην — *ΜΙΚ.* ἐγὼ δὲ πρό γε τούτου ὦ θαυμάσιε τίς ἦν; τοῦτό μοι πρότερον εἰπέ, εἰ κἀγώ ποτε ἠλλάγην ὥςπερ σύ. — *ΑΛ.* καὶ μάλα — *ΜΙΚ.* τίς οὖν ἦν, ὦ θαυμάσιε, τίς ἦν, εἴ τι ἔχεις εἰπεῖν; ἐθέλω γὰρ τοῦτο εἰδέναι. — *ΑΛ.* σύ; μύρμηξ Ἰνδικὸς τῶν τὸ χρυσίον ἀνορυττόντων. —

MIK. *ὤκνουν ὁ κακοδαίμων ὀλίγον τῶν ψηγμάτων ἥκων ἐς τὸν βίον ἐξ ἐκείνου ἐπισιτισάμενος*[1]).

Dubitari non potest quin duas hic habeamus eiusdem loci recensiones, unam breviorem alteram ampliorem, quarum alterutram sequi debemus, non, quod fieri solet in editionibus, utramque miscere novamque coniecturam addere. Nam ne de consilio quidem interpolatoris hic dubitatio esse potest. Scriptor more suo properans ad ea quae de auro ludere volebat sermonem qui praecedit placidum et simplicem fecit, interpolatori autem oratio ad rei gravitatem non satis commota visa est, eoque consilio totum locum immutavit, qui optime procedit ea orationis forma quam prior classis praebet.

Interpolatoris libidinem certis legibus non circumscribi supra dixi, apparet tamen quasdam res eum per totum libellum summo cum studio tenuisse. Pro *ἐς* ubique fere scripsit *εἰς*, pro *ξὺν σύν*, etsi semel etiam (in *ξυνειργασμένος* cap. 24) *ξὺν* pro *σύν*, pro *ἀμέλει*, quo verbo sane Lucianus aliique serioris Graecitatis scriptores mirum in modum abusi sunt, *εὐθὺς* (cap. 1) et *ὥστε* (c. 23), pro *ἦσθα ἦς* (c. 19) et in eodem capite *συνῆσθα* pro *συνεῖς* i. e. *συνῆς*, pro *ἥλιον ἀνίσχειν* (c. 1) et *ἀνίσχοι ὁ ἥλιος* (c. 3) *ἥλιον ἀνατεῖλαι* et *φαίνει ὁ ἥλιος*, pro *ἐξίασιν* (c. 6), *ἄπειμι* (c. 9), *πρόσεισιν* (c. 23) *ἐκφοιτῶσιν, ἀπέρχομαι, ἐπιβουλεύει*, sed etiam pro *περιελεύσομαι* (c. 29) *περίειμι* et pro *ἀνελευσόμενον* (c. 3) *ἀνατέλλοντα*. Iisdem in verbis discedere solet utraque familia in ceteris quoque libellis ubi gravius inter illas est discrimen, ex eaque re maxime neque solum ex eodem in universum mutationum genere apparet non variorum temporum lectorumque iniurae tribuendam esse secundae classis interpolationem, sed

[1]) Secutus sum codicem Florentinum. In Marciano videtur a primo *τίς ἦν* ad alterum aberratum esse, iis quae e codice Vaticano 90 afferuntur caute utendum est.

unius hominis libidini[1]). Nam ad communem librariorum morem referri haec vix possunt, cum in σὺν et εἰς quidem praepositionibus ubicumque codicum familiae discedunt, paucissimis locis exceptis ubique prior habeat ξὺν et ἐς, altera σὺν et εἰς. Neque quidquam refert utrum praepositiones solae an initio verbi compositi legantur neque utrum ἐς ante vocalem an ante consonantem scriptum sit. Eadem constantia apparet in μόγις prioris et μόλις secundae classis (Iud. voc. 4, Traiectus c. 2, Bis accus. 15. Pisc. 15. 16. Prom. 1). Pro ἀνατέλλειν ἀνίσχειν bis legitur in familia altera (Ver. hist. I, 5, Men. 7), pro ὥςτε semel ἀμέλει (Men. 15), ubi familia secunda verum habere videtur, pro ὦ ἄνδρες δικασταὶ ter in eodem libello (Bis accus. c. 27. 30. 33) ὦ ἄνδρες. Maxime mira est utriusque classis ratio in eundi verbis[2]). Praeter ea quae supra e Gallo attuli pro ἰέναι in altera familia scribitur ἔρχεσθαι in his, ἴασι — ἔρχονται (Iupp. conf. 11), περίεισι — περιέρχεται (Bis accus. 1), διεξίασι — διεξέρχονται (Iupp. conf. 2), αὐτίκα μέτεισι — εὐθὺς μετελεύσεται (Dial. mar. X, 2). Praeterea occurrit μετέρχεται pro μεταβαίνει (Bis accus. 1), περιέρχονται pro περινοστοῦσι (Bis accus. 6), μετερχόμεθα pro κολάζομεν (Iupp. trag. 24). Maior est eorum locorum numerus quibus ἔρχεσθαι est in priore familia, ἰέναι in secunda. Ita traditur ἀπέρχονται — ἀπίασι (Bis accus. 11), διεξέρχονται — διεξίασι (Bis accus. 16), κατέρχονται — κατίασι (Menipp. 22), περιέρχεται — περίεισι (Men. 16. 18), προέρχομαι — πρόειμι (Philops. 31), προσέρχεται — πρόσεισι (Pisc. 13. 48), συνέρχονται — ἀνίασι (Pisc. 40), μετελεύσομαι — μέτειμι (Prometh. 18), ἐξέλευσις — ἔξοδος (Ver. hist. II, 1), quibus addenda sunt ξυνθέουσι — συνίασι (Iupp. trag. 7), ξυνθέουσι — προσίασι (Bis accus. 13), ἀποτρέχει — ἄπεισιν (Iupp. trag. 53), παρίσταται — ἔπεισιν (Philops. 2).

---

[1]) Atticistam eum fuisse saeculi quarti dicit Fritzschius (I, 1 pag. IV), nescio qua causa.

[2]) Cfr. Cobetum, Variae lectiones pag. 307 sq.

His locis tutissimum erit priorem familiam sequi, quamquam concedendum est illius lectionem non semper offensione carere. Ita tamen in ceteris omnibus secundam superat, ut etiam in talibus archetypum quidem eam accuratius reddidisse credere debeamus. In uno Menippo nescio qua causa accidit ut plura in priore familia gravius interpolarentur quae altera recte tradidit; fortasse summa auctoritate qua hic libellus aetate Byzantina floruisse videtur[1]) factum est ut in priore quoque familia gravius corrumperetur. Hoc uno libello excepto prioris familiae ratio ubique fere eadem est, contra secundae interpolator non omnia pari libidine tractavit, non nulla fere intacta reliquit, velut Timonem, alia paulo liberius immutavit, alia prorsus depravavit. In universum dici potest, eum librorum qui est in priore familia ordinem ita secutum esse ut semper crescente interpolatione archetypum immutaret, sunt tamen etiam Verae historiae libri, a quibus haec operum Lucianeorum pars incipit, non multo minus graviter interpolati quam Gallus, Piscator, Prometheus aliique.

Quae de prioris classis in his libellis textu constant omnia fere adhuc nituntur Vindobonensi, Gorlicensi, Marciano 436. Quibus accedent fontes alii, in primis Vaticanus 76 et Vaticani 90 manus altera, quarum ope continget maxime de iis quae nunc solo Gorlicensi nituntur certius iudicare, in non nullis etiam, Vera historia, Calumnia, Traiectu, Convivio, Icaromenippo, Philopseudibus, familiae prioris textum in Gorlicensem non receptum recuperare. Neque tamen nimis multa nova ex his fontibus expectare debemus. In plerisque enim horum opusculorum non multum inter utramque classem intercedere videtur, et accedit quod prioris classis memoria, quamquam nullo nunc apographo tradita, tamen ne in his quidem plane deleta est, sed singula multa quamvis

---

[1]) Cfr. C. B. Hasium, Notices et extraits des manuscrits du roi IX, 2 pag. 129.

incerta ex illa permanarunt ad codices recentiores et interpolatos, Oxoniensem D (cfr. Iacobitzii praefationem I pag. XXVII), Parisinum Δ (cfr. Iacobitzium I pag. XXVI), Vaticanum 87, Guelferbytanos G et F aliosque et inde saepius in textum vulgatum. In solis Philopseudibus sperare licet fore ut textus ita emendetur ut in aliis libris ante hos quinquaginta annos Vindobonensi et Gorlicensi primum adhibitis factum est. Initio huius libelli solus Vaticanus 76, ut leviora et dubia omittam, habet cap. 1 *πρὸ πολλοῦ τῆς ἀληθείας τίθενται* pro *περὶ πολλοῦ*, confirmans Iacobsii coniecturam Bekkero et Madvigio probatam, cap. 2 haud dubie recte *ὁ ἔρως οὗτος* pro *ἔρως οὗτος*, *τοῦ μὴ τἀληθῆ λέγειν* pro *τοῦ μὴ ἀληθῆ λέγειν*, *οἵ γε* pro *εἴ γε*, *οὐδὲν οὐδὲ τοῦτο, ὦ Φιλόκλεις*, pro *οὐδὲν τοῦτο*, ubi *οὐδὲ τοῦτο* recte iam restitutum est a Fritzschio, *ὦ Φιλόκλεις* nunc demum accedit, *αἰδεῖσθαι ὑπὲρ αὐτῶν παρίσταται* (cfr. Bis accus. c. 26, II, 13, 34 *παρίσταταί μοι γινώσκειν* e Demosthene) pro *αἰδεῖσθαι ὑπὲρ αὐτῶν ἔπεισι*, capite tertio *πόλεις ἤδη καὶ ἔθνη ὅλα* pro *πόλεις ἤδη καὶ ἔθνη πολλά*, hic quoque confirmata egregia Hercheri coniectura. Ultimum libelli verbum non est *ψευσμάτων* sed *φασμάτων*, quod praestat, idemque est in Vaticano 87 aliisque et a secunda manu in Vaticano 90. Valde igitur optandum est ut ad totum dialogum codex Vaticanus 76 diligenter conferatur.

Utriusque classis ratio quamvis incerta in singulis in universum tamen satis perspicua est, neque fere in hac re nisi bonorum fontium inopia editores gravius erraverunt praeter unum libellum ceteris neglegentius tractatum, Soloecistam. Habemus hic prioris classis testes non optimos, sed in summa re satis fidos, Gorlicensem (A) et Marcianum 436 (Ψ)[1], secundae editionem principem, quae in aliis quidem libris plerumque cum

[1]) Contulit Sommerbrodtius, Lucianea pag. 80.

Marciano 434 consentire solet. Ex his fontibus nondum melioribus adhibitis debemus textum constituere et spernere ea quae ab illis gravissime saepius discrepantia e ceteris editionibus antiquis aut codicibus interpolatis enotantur. Aliam viam inierunt et Iacobitzius et Bekkerus plura ex illis recipientes quae interpolatione illata esse mihi persuasum est. Breviter percensebo omissis levioribus et incertis totum libellum, sane non nimis bonum neque tamen inutilem, cum totus versetur in recte loquendi praeceptis; in quo multa nunc non recte accipiuntur aut omnino non intelleguntur. Non nulla contra bonos fontes in deterioribus coniectura mutata sunt aut probabili aut certa, velut cap. 2 (II, 342, 29) *ἐγὼ δέ <σε> ἀγνοεῖν*, fortasse etiam ibidem (v. 31) *τετραπλῆ* pro *τριπλῆ*, cap. 10 (pag. 346, 17) *ἥδιον* pro *ἴδιον* in codice Graeviano sive a viro docto qui ad exemplar editionis principis quod Heidelbergae nunc servatur non nulla adscripsit[1]), quamquam vel sic *ἂν* addendum erat et *βέλτιον* potius expectatur. Contra in aliis prorsus recedendum est a scriptura vulgo tradita. Cap. 4 (pag. 343, 20) Lycinus cavillans dicit *κἀμὲ τοίνυν εἴσῃ τότε* (scilicet *σολοικίζοντα*), *ὅταν τι τῶν παιδίων γένῃ τῶν τὰς τίτθας θηλαζόντων ἢ εἰ οὐ νῦν ἔγνως σολοικίζοντά με, οὐδὲ αὐξάνοντα παιδία σολοικισμὸν ποιήσει τῷ μηδὲν εἰδότι.* Videtur scribendum esse *αὐξάνοντα <τὰ> παιδία*, sed totus locus gravius corruptus est, cum illud *εἰ οὐ νῦν* ferri omnino non possit. Verum eliciendum est ex eo quod meliores fontes praebent, *τῶν τὰς τίτθας θηλαζόντων* (*θαυμαζόντων* in solo Gorlicensi mera est interpolatio) *πιούσας ἢ* (aut *εἰ* aut *ἢ εἰ*) *νῦν ἔγνως*, quod conicio fuisse *τῶν τὰς τίτθας θηλαζόντων. τί οὖν; οὐ νῦν ἔγνως σολοικίζοντά με; οὐδὲ αὐξάνοντα <τὰ> παιδία σολοικισμὸν ποιήσει τῷ μηδὲν εἰδότι.* Ita enim saepius loquitur Lucianus ut *τί οὖν;* ponat sequente interrogatione (Gallus c. 17, I, 417, 14; c. 33, pag. 423, 32; Dial. meretr. II, 3,

---

[1]) Cfr. Iacobitzii praefationem I pag. XXXIII.

I, 440, 21; III, 3 pag. 442, 6; VII, 3 pag. 448, 14 et 23; Prom. min. c. 5, II, 19, 27). Eorum quae de Socrate grammatico narrat primum (c. 5, pag. 343, 29) quo modo scribendum sit non certo scio, de sententia dubitari non potest. Cum enim *πηνίκα* secundum grammaticorum praecepta non sit „quo tempore“, sed „quota hora“, apparet eum interroganti *πηνίκα* profecturus esset respondisse „unde scis me hodie profecturum esse?“ Haec igitur fere scribenda sunt, *τί* (codices *τίς*) *γὰρ εἶπον* (codices *ἄν*), *ἔφη*, *σοι περὶ τῆς τήμερον ὡς ἐξιών* (Gorl. *ἐξίω*); Certum est addito *ἀποκριθείη* vel *ἀποκριθῇ*, ut fieri solet in editionibus, nullum omnino sensum effici. Multa obscura sunt in his Socratis facetiis, quorum pleraque modo recte scribantur satis bene explicari possunt. Eodem capite (pag. 343, 35) scribitur *ἑτέρου δὲ* (scilicet *εἰπόντος*) „*ἐκλελοχότας*“, „*διπλασιάζεις*“, *ἔφη*, „*τοὺς ἐξειλοχότας*“, quae nemo, credo, umquam intellexit. Secuti sunt Graevii codicem, cum meliores fontes habeant *ἑτέρου δὲοντας* (sic, aut *δέοντας* aut *δὲ λέοντας*) *διπλασιάζεις* (*διπλασιάζει* cod. A) *ἔφη τοὺς λέγοντας* (aut *λέοντας*). Coniecerim *ἑτέρου δὲ* „*διαλέγοντας*“, „*διπλασιάζεις*“, *ἔφη* „*τοὺς λέγοντας*“, ut grammaticus formam vitiosam *διαλέγοντας* pro *διαλεγομένους* propter sonus similitudinem per iocum pro *δύο λέγοντας* acceperit, quod certe convenit non minus cum eius ratione quae in ceteris apparet, quam cum grammaticorum lege[1]). Proxime sequitur *πρὸς τὸν εἰπόντα* (pag. 343, 39), ubi *δὲ* in editionibus addito carere possumus. Neque minus facile omitti potest in continua dictorum serie *εἶπε*[2]), quod cap. 6 (pag. 344, 15) editur pro *σου* (ita *Ψ*, A *μου*, ed. princ. *οὖν*) in his: ***Καὶ** ζυγομαχεῖν δέ τινος εἰπόντος* „*πρὸς τὸν*

---

[1]) Fuisse qui *διαλέγειν* pro *διαλέγεσθαι* dicerent eiusque formae usum contra vituperatores etiam exemplo comprobarent docet Bekkeri Antiatticista (Anecdota Graeca pag. 88) *διαλέγω· ἀντὶ τοῦ διαλέγεσθαι. Ἕρμιππος Κέρκωψιν.*

[2]) Similiter in Demonactis cap. 20 (II, 314, 12 et 14) non recte in editionibus bis additur *εἶπε* e codice C contra testes meliores.

ἐχθρόν σου ζυγομαχεῖς;“ Non intelleguntur quae de vitioso *ἐκτότε* dicit: *Τῷ δὲ λέγοντι ἐκτότε „καλὸν“, ἔφη „τὸ εἰπεῖν ἐκπέρυσιν· ὁ γὰρ Πλάτων ἐκτότε λέγει“.* Scripsi iterum *ἐκτότε*, cum in editionibus legatur *ἐς τότε*, quod huius loci sententiae non aptum est, codex Graevianus habeat *ἐξ ἐκείνου*, aperte interpolatum e grammaticorum praeceptis[1]) et hic quidem ab omnibus spretum, locumque hoc modo intellego, ut rideat grammaticus illum male locutum quasi nihil umquam proferat quod non ipsi Platoni sit probatum. Itaque ne *ἐκπέρυσι* quidem vituperari poterit, cum Plato ipse (cuius ille nimirum exemplum sequitur) *ἐκτότε* probet. Eodem capite (pag. 344, 30) apparet *θαυμάζω, ἔφη* pro *θαυμάζειν ἔφη* scribendum esse, neque minus certum est Socratem ei qui *λέλογχα* pro *εἴληχα* usurpaverat, dixisse *ὀλίγων* (ita A, scribitur *ὀλίγον*) *καὶ παρ' οἷς ἁμαρτάνεται* i. e. „paucorum scriptorum est neque probatorum“. Post Socratica soloecismorum illud aucupium a quo sermo exorsus est resumitur (cap. 8, pag. 344, 39), *ἐπανίωμεν, εἰ δοκεῖ, ἐπὶ τὴν ἅμιλλαν τῶν προτέρων λόγων, κἀγὼ μὲν καλῶ τοὺς βελτίστους εἶναι ὅλους, σὺ δὲ γνώρισον.* Corruptum est *εἶναι ὅλους*, neque multum iuvamur Herwerdeni coniectura *ἰέναι ὅλους*[2]), cum neque *ἰέναι* neque *ὅλους* placeat, soloecismorum autem significatio omitti hic omnino non possit. Audax est coniectura sed plane necessaria, id ipsum *σολοικισμοὺς* latere in *εἶναι ὅλους*. Cap. 9 (345, 22) Lycini verba *εἰ ἄρα καθεῖς λανθάνει σε περιιὼν* neque per se stare possunt neque soloecistae verba quae praecedunt, *μὰ τοὺς θεούς, οὐ γὰρ ἔμαθον* (scilicet soloecismum quo ille *μαντεύεσθαι* et *χρᾶσθαι* permutaverat)

---

[1]) Phrynichus *ἐκτότε κατὰ μηδένα τρόπον εἴπῃς ἀλλ' ἐξ ἐκείνου.*

[2]) Plutarchea et Lucianea pag. 90. Neque verior coniectura facta est repetendo (Mnemosyne VII, 97). Solet enim hic vir doctus non modo, ut saepius Batavi, Bekkeri Fritzschiique editiones, Madvigii adversaria, Cobeti varias lectiones ceterasque Batavorum quae huc pertinent commentationes neglegere, sed ne suum quidem ipsius libellum novisse videtur.

recte excipiunt. Immo ita fere eum locutum esse suspicor: <καὶ οἱ ἄλλοι σολοικισμοὶ φευξοῦνταί σε πάντες>, εἰ ἄρα καθεὶς λανθάνει σε περιιών. In Lycini verbis (cap. 9, pag. 345, 37) ὀρθῶς γὰρ λέγεις· οὐ γὰρ ἐπιτρεπτέον σολοικίζοντι τῷ φίλῳ prius γὰρ errore irrepsisse puto e proxime sequentibus. Cap. 10 (pag. 346, 27) haec traduntur in bonis libris: *ΛΥΚ.* ἆρ' οὖν καὶ τοῦτο κατανοεῖς, ὅτι τὸ ταῦτα ὑπαλάττειν σολοικίζειν καλοῦσιν; — *ΣΟΛ.* ἀλλὰ νῦν (νῦν γ'?) εἴσομαι. — *ΛΥΚ.* αὐτὸ δὲ τὸ ἐναλάττειν — *ΣΟΛ.* ἐμοὶ μὲν ταὐτὸν λέγειν δόξει. — *ΛΥΚ.* καὶ πῶς ἂν εἴη ταὐτὸν τῷ ὑπαλάττειν τὸ ἐναλάττειν e. q. s. Non integra esse Lycini verba αὐτὸ δὲ τὸ ἐναλάττειν facile apparet, solentque recipere codicis Graeviani supplementum non malum neque tamen omni ex parte placens, αὐτὸ δὲ τὸ ὑπαλάττειν εἴ τις ἐναλάττειν λέγει, τί σοι δόξειεν λέγειν; Nullam tamen habet auctoritatem licetque paulo melius ita fere locum scribere, αὐτὸ δὲ <τὸ ὑπαλάττειν εἴ τις ἐναλάττειν λέγοι, ἆρα ταὐτὸν ἔσται τῷ ὑπαλάττειν> τὸ ἐναλάττειν; Hac quaestione absoluta ita pergit Lycinus (pag. 347, 1), ἔχει τινὰ καὶ ταῦτα κατανόησιν οὐκ ἄχαριν. τὸ δὲ σπουδάζειν πρός τινα τὴν οἰκείαν ὠφέλειαν τοῦ σπουδάζοντος ἐμφαίνει, τὸ δὲ περί τινα τὴν ἐκείνου περὶ ὃν σπουδάζει καὶ ταῦτα ἴσως μὲν ὑποσυγκέχυται ἴσως δὲ καὶ ἀκριβοῦται παρά τισι· βέλτιον δὲ τὸ ἀκριβοῦν ἑκάστῳ. Ἑκάστῳ non intellego putoque scribendum esse ἕκαστα. Καὶ ταῦτα initio sententiae non ad praecedentia videtur spectare sed ad ea quae sequuntur, ut δὲ in verbis τὸ δὲ σπουδάζειν delendum sit. Pro τὴν οἰκείαν traditur τὴν γὰρ οἰκείαν e codicibus A et Ψ i. e. familia priore, quod hanc loci formam indicare videtur: Τὸ σπουδάζειν πρός τινα <οὐ ταὐτόν ἐστι τῷ περί τινα>· τὴν γὰρ οἰκείαν ὠφέλειαν τοῦ σπουδάζοντος ἐμφαίνει, τὸ δὲ περί τινα τὴν ἐκείνου περὶ ὃν σπουδάζει. Denique non intellego quae eduntur initio capitis ultimi (pag. 347, 20), καὶ ταῦτα ἱκανῶς διελήλυθας, καὶ δὴ λέγε· οὕτω γάρ σε δεῖ προδιδάσκειν. Codices A et Ψ habent οὕτω σε προδιδάσκειν, editio princeps οὕτω με προδιδάσκων, quae licet fortasse

cum sequentibus ita coniungere ut haec evadat Lycini oratio: *Καὶ δὴ λέγω οὕτω σε προδιδάσκων· ἑτέρως γὰρ λέγοντος οὐ κατανοεῖς.* Sed tota sententia valde est turbata et videtur ita restitui posse ut post illud *καὶ ταῦτα ἱκανῶς διελήλυθας* omissa esse credamus verba *οὐκ οἶσθα οἷόν ἐστι ξυγγραφεὺς ἀνήρ*, quibus alieno loco insertis perierunt quae ibi scripta erant, ut haec evadat sermonis forma: *ΣΟΛ. καὶ ταῦτα ἱκανῶς διελήλυθας. — ΛΙΚ. οὐκ οἶσθα, οἷόν ἐστι ξυγγραφεὺς ἀνήρ;* (pergens postquam Soloecista non respondit) *καὶ δὴ λέγω, οὕτω σε προδιδάσκων· ἑτέρως γὰρ λέγοντος οὐ κατανοεῖς.* ⟨*Ξυγγραφεύς ἐστιν ὁ τὰ ἐφ' ἑαυτοῦ γεγονότα συγγραψάμενος, ὡς Θουκυδίδης, ἱστοριογράφος δὲ ὁ τὰ πρὸ ἑαυτοῦ, ὡς Ἡρόδοτος*⟩.[1]) — *ΣΟΛ. πάνυ οἶδα νῦν γε, σοῦ ἀκούσας ταῦτα λέγοντος.*

---

1) Talia desiderari vidit iam Gesnerus. Ipsum supplementum sumpsi ab Ammonio.

VI.

Luciani operibus etsi inter serioris Graecitatis scriptores non nulli usi sunt, ipsa eius verba non attulerunt nisi recentissimi, Thomas Magister et paroemiographorum ultimi, qui neque vetustioribus neque melioribus codicibus usi sunt quam quibus nunc etiam uti licet. Quae enim inter Zenobiana leguntur proverbia e Luciani scriptis sumpta, ea abesse ab Athoo et Laurentiano et multo recentiore aetate adscita esse exposuit Otto Crusius[1]), neque quidquam ex iis discitur. Macarii loco (VII, 12) semel (Adversus indoctum cap. 4, II, 104, 24) usus est Sauppius ad veram Luciani manum restituendam, scribens *πίθηκος γὰρ ὁ πίθηκος, ἡ παροιμία φησί, κἂν χρυσᾶ ἔχῃ σάμβαλα*, cum *σύμβολα* habeant Lucianei codices de quibus constat omnes neque minus Arsenius (XIV, 33) ubi idem proverbium affert, *σάνδαλα* solus Macarius, fortasse alio aliquo praeterea scriptore in eodem proverbio usus. Uno praeterea loco (Dial. mort. VIII, 1; I, 360, 19) Apostolius vel potius Arsenius (XII, 83a) antiquiorem nostris codicibus lectionem servasse visus est Fritzschio, sed non recte iudicavit, immo apparet Arsenium usum esse aut ipso codice Vaticano 87 aut libro proxime cum illo coniuncto. Cum enim librarius ab interstitio quo personarum mutatio in antiquioribus libris significari solet ad proxime sequens aberrasset, factum est ut Cnemonis verba *τοῦτο ἐκεῖνο τὸ τῆς παροιμίας, ὁ νεβρὸς τὸν λέοντα* in illo codice, omissa Damasippi interrogatione *τί ἀγανακτεῖς ὦ Κνήμων*, statim exciperet Cne-

[1]) Analecta critica ad paroemiographos graecos pag. 102.

monis responsum πυνθάνῃ ὅτι ἀγανακτῶ; ubi πυνθάνῃ aut ab ipso Luciano additum est ut dicendi genus Atticis sollemne sui auditores facilius intellegerent, aut, quod certum visum est Cobeto aliisque, ab interpolatore simili consilio. Hoc autem verbum et Vaticani errorem legit procul dubio is qui ex hoc loco ineptissimum effinxit proverbium ὁ νεβρὸς τὸν λέοντα πυνθάνεται, neque multis, credo, vera videbuntur quae Fritzschius de hoc loco disputavit (III, 1 pag. 213). Nihil igitur aut fere nihil ex his recentissimis fontibus discimus.

Zeuxidis pars scholii loco adscripta est in Gregorii Nazianzeni codice Bodleiano saeculi decimi, quem multum sibi profuisse ad sordes eluendas Fritzschius testatur (II, 1 pag. VI). Tamen neque ipse nimis saepe eum sequitur neque ubi fecit recte iudicasse mihi videtur. Nam quod legitur cap. 3 (I, 62, 30) τὰ δημώδη καὶ τὰ κοινὰ ταῦτα, quamquam offensioni sane est repetitus articulus, quem cum Bodleiano Fritzschius omisit, tamen apud Lucianum, qui aliis etiam modis articulo non recte videtur usus esse, satis defenditur locis similibus velut Iupp. trag. 13 (I, 140, 14) τὰ κοινὰ καὶ τὰ καθ' ἡμέραν ταῦτα, De die nefasto c. 2 (II, 114, 9) τὰ κοινὰ ταῦτα καὶ τὰ ἐν ποσὶν ἀγνοῶν, Toxaris 49 (II, 241, 15) τὰ κοινὰ ταῦτα καὶ τὰ καθ' ἡμέραν; paulo post ὁ Ζεῦξις αὐτὸς (pag. 62, 34) sane ferri non potest, sed mutandum est aut in ὁ αὐτὸς Ζεῦξις aut cum Hartmanno in ὁ Ζεῦξις οὗτος, quia omisso pronomine, quod iam Solanus voluerat, nomen pictoris non bene repetitur; denique οἷοί εἰσιν ἵπποι πειρώμενοι ἀναπηδᾶν (cap. 4, pag. 63, 14) neglegentius sane dictum est, sed non ita ut ferri non possit, quaeque verbis inest difficultas, quam coniectura ἵππου πειρωμένου tollere voluit Cobetus, addito articulo ante ἵπποι non minuitur. Itaque illud etiam nescio an retineri possit quod cap. 3 (pag. 62, 37) traditur, τὸ ἀρχέτυπον δ' αὐτὸ Σύλλας ὁ Ῥωμαίων στρατηγὸς ἐλέγετο μετὰ τῶν ἄλλων εἰς Ἰταλίαν πεπομφέναι. Nam neglegentius in his narratiunculis res tradere solet scriptor (ut paulo antea

dixit ἐθέλω γοῦν ὑμῖν καὶ τὸ τοῦ γραφέως διηγήσασθαι) et σκύλων addere facile poterat qui aliis locis orationem ex arbitrio contraxit et immutavit, solam sententiae summam spectans neque singula curans. Sunt tamen alia quaedam quae maiore iure ex hoc codice sumi posse mihi videantur, rectius scripta quam in codicibus nostris, iis quidem quibus ad hunc libellum usi sunt editores, qui pessimi sunt et plerumque ne accurate quidem inspecti, ut de melioribus dubitare liberum sit. Τὸ δὲ γυναικεῖον ὅσον αὐτῆς ἠρέμα ἐπεγήγερται (cap. 4, pag. 63, 10) recte Iacobitzius sumpsit e Bodleiani ἐπεγείγερται, cum codices Lucianei habere dicantur ἐπήγερται. Malim etiam paulo post οἷον ἐπίπλευρον κειμένης scribere cum Bodleiano quam οἷον ἐπὶ πλευρὰν κειμένης cum libris Lucianeis. Gravior dubitatio est de verbis cap. 5 (pag. 63, 29) τὸν μὲν ἄνδρα ποιήσας πάντῃ φοβερὸν καὶ κομιδῇ ἄγριον, σοβαρὸν τῇ χαίτῃ (an τὴν χαίτην?), λάσιον τὰ πολλά, οὐ κατὰ τὸν ἵππον αὐτοῦ μόνον ἀλλὰ καὶ καθ' ἕτερον τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ἐξάρας αὐτοῦ τοὺς ὤμους ἐπὶ πλεῖστον; quae cum in Bodleiano ita libere contracta sint, ἵππον σοβαρὸν ἄγριον κομιδῇ λάσιον τῇ χαίτῃ στέρνον τε καὶ ὤμους, ex hac sola re nihil posset effici nisi ea quae codices habent corrupta esse etiam per se appareret. Nam illa καθ' ἕτερον τοῦ ἀνθρώπου explicari non possunt neque multo meliora fiunt si cum Fritzschio scribimus κατὰ θάτερον τοῦ ἀνθρώπου. Cum igitur ἕτερον, quod corruptum esse apparet, non multum absit a στέρνον, pectoris autem mentio hic et apte fiat et occurrat in Bodleiano, cumque verba ἐξάρας αὐτοῦ τοὺς non legantur in Florentino, qui etsi Zeuxidem habet in parte recentissima tamen hic ut inter pessimos codices est optimus, scriptorem dedisse fere puto λάσιον τὰ πολλά, οὐ κατὰ τὸν ἵππον αὐτοῦ μόνον ἀλλὰ καὶ κατὰ σ τ έ ρ ν ο ν· τοῦ ἀνθρώπου καὶ ὤμους ἐπὶ πλεῖστον[1]).

---

[1]) In proxime sequentibus τὸ <δὲ> βλέμμα scribendum est idque ita ut illa et cum praecedentibus et cum iis quae sequuntur artissime cohaereant.

Libelli de calumnia verba (cap. 8, II, 423, 36) *τίς γὰρ οὐκ ἂν ὁμολογήσειε — ὑπὸ τῆς διαβολῆς προεμπεπλησμένα* extant in florilegio codicis Laurentiani 7, 15, saeculi ut videtur decimi, praeter levissimos quosdam errores ita scripta ut traduntur in codicibus Lucianeis, ut nihil inde disci possit nisi *τὴν μὲν ἰσότητα ἐν ἅπασι* potius scribendum esse cum Monacensi P quam *ἐν ἅπαντι* cum ceteris.

Haec testimonia longe superat et auctoritate et vetustate eiusdem libelli de calumnia versio Syriaca, quam e codice musei Britannici anno 1870 edidit Eduardus Sachau[1]), cum codicibus Lucianeis comparavit sequenti anno G. Hoffmann[2]), e cuius commentatione repetam quae ad textus Lucianei fidem illustrandam idonea sunt, cum praesertim ii qui Luciani scriptis operam dederunt illius rei rationem adhuc nullam quantum scio habuerint. Cum enim codex ille a peritis saeculi octavi vel noni esse dicatur, versio ipsa fortasse aliquanto sit antiquior, videndum est an fortasse minus corrupta fuerit ea textus forma qua utebatur qui versionem illam confecit. Sed impedita est haec quaestio variis difficultatibus, cum et plane certo de talibus iudicare non possit nisi qui et linguae Syriacae peritus est et huius generis versionum notitiam aliquam habet, et ne de ipsis quidem Luciani codicibus in hoc opusculo satis constat. Est ex eo libellorum genere quod duabus classibus traditur, videtur autem inter utriusque classis archetypum non nimis multum interfuisse. Codices adhuc examinati videntur omnes in summa re secundam familiam sequi, ita tamen ut non nulli quidem, Oxoniensis D, Guelferbytanus G, Monacenses P et Q, habeant aliquid admixtum e codicum familia priore. Cum autem iidem summa cum libidine interpolati sint, in hoc libello ut in aliis multis certo

---

[1]) Inedita Syriaca, Vindobonae 1870. Cfr. etiam Hermae vol. IV (1870) pag. 69.

[2]) Göttingische gelehrte Anzeigen anni 1871 pag. 1201 sq.

recensionis fundamento adhuc caremus, eruendo e Vaticano 76 et secundae classis libris melioribus. Interim Hoffmanni vestigiis insistens ea exponam quae de hac quaestione certo aut probabiliter constitui possunt.

Qui versionem Syriacam confecit hoc maxime egit ut praecepta illa moralia cognoscendi popularibus suis occasionem faceret. Itaque et omisit non nulla quae illi intellegere non potuissent et in aliis cum libertate quadam negotio functus est pro arbitrio non nulla ab accurata Graeci textus imitatione deflectens. Ad hoc genus paulo plura etiam quam Hoffmannus voluit referenda esse mihi videntur. Cap. 3 initio (II, 422, 24) ante Bekkerum legebatur *ὁ δὲ Πτολεμαῖος ὡς ἂν κάρτα οὐ φρενήρης τις ὤν*, ut haec verba scribuntur in Gorlicensi; apparet autem e codicum memoria quamvis turbata, priore quidem codicum familia traditum fuisse id quod notatur ex Oxoniensi D, *ὡς ἂν κα τα ἄλλ' οὐ πάνυ φρενήρης τις ὢν*, e quibus *ὡς ἂν καὶ τἆλλ' οὐ πάνυ φρενήρης τις ὢν* invenerat iam Solanus et recepit Bekkerus. Quod autem versio Syriaca neque *κάρτα* neque *καὶ τἆλλα* habet, sed „auch nicht vor diesem", ut convertit Hoffmannus, hoc ita facillime explicatur ut ille aut ipsum illud *καὶ τἆλλα* minus accurate reddiderit aut cum locum iam depravatum invenisset, universae tantum sententiae prospexerit. Hoc quoque non recte intellexisse videtur interpres quod scriptum fuisse puto cap. 10 (pag. 425, 5) *ἔνθα ὁ μὲν χρηστὸς ἀτεχνῶς εὐθὺς ἀνατέτραπται καὶ παρασέσυρται καὶ τὸ τελευταῖον ἀτίμως ἐξέωσται, ὁ δὲ κολακευτικώτερος καὶ πρὸς τὰς τοιαύτας κακοηθείας πιθανώτερος εὐδοκιμεῖ καὶ ὅλῳ φθάσας κρατεῖ*[1]), quae non accurate ita expressit quasi scriptum fuisset *καὶ ὁ μάλιστα ἀναιδὴς μάλιστα κρατεῖ*. Malim etiam retinere cap. 11

---

[1]) Traditur *καὶ ὅλως φθάσας κρατεῖ*, e quo minus apte effecerunt editores *καὶ ὅλως ὁ φθάσας κρατεῖ*. Imitatur scriptor Platonica *ὅλῳ τινὶ ἐξαπατώμεθα* (Lysis pag. 215 C), *ὅλῳ καὶ παντὶ διαφέρει* (Cratyl. 434 A), *τῷ ὅλῳ καὶ παντὶ διοίσει* (Rep. VII, 527 C).

(pag. 425, 17) *οὐ γὰρ ἂν τοσαῦτα ἔβλαπτεν ἡ διαβολή, εἰ μὴ πιθανόν τινα τρόπον ἐγίνετο,* ubi *ποικίλον* pro *πιθανὸν* traditur ab interprete expressum esse, fortasse ut eiusdem verbi, quod mox iterum legitur, repetitionem effugeret. Nihil nisi contraxisse sententiam videtur cap. 20 (427,35), *οὐδεὶς γοῦν οὕτω γεννάδας ἐστὶ καὶ ἀδαμάντινον τεῖχος τῆς ψυχῆς προβεβλημένος, ὃς οὐκ ἂν ἐνδοίη πρὸς τὰς τῆς κολακείας προσβολάς, καὶ ταῦτα ὑπορυττούσης καὶ τοὺς θεμελίους ὑφαιρούσης τῆς διαβολῆς,* quae ita expressit quasi *πρὸς τὰς τῆς διαβολῆς προσβολὰς* omissis sequentibus invenisset. Cap. 21 (428, 5) scribendum est cum Solano *οὐ γὰρ οἶδ' ὅπως ἡδόμεθα πάντες λαθρίδια καὶ πρὸς τὸ οὖς λεγόμενα καὶ μεστὰ ὑπονοίας ἀκούοντες,* neque quidquam tribuendum est interpretationi, quae habet Hoffmanno teste „denn du weisst ja, wie angenehm uns die Worte sind, die ans Ohr geflüstert werden und voll neuer Gerüchte sind"; nam *εὖ γὰρ οἶσθα* erat fortasse in codice quo usus est non recte scriptum pro *οὐ γὰρ οἶδα,* novi autem rumores falsa verbi *ὑπόνοια* interpretatione videntur illata esse. Cap. 31 (II, 430, 12) edi solet *πρὶν δὲ τοῦτο ποιῆσαι ἐκ τῆς πρώτης διαβολῆς κεκινημένον, Ἡράκλεις ὡς μειρακιῶδες καὶ ταπεινὸν καὶ πάντων οὐχ ἥκιστα ἄδικον,* sed pro ultimis verbis traditur omissa negatione *καὶ πάντων ἥκιστα ἄδικον,* ut paulo etiam maiore probabilitate conicere possis *καὶ πάντων ἥκιστα ἔνδικον.* Hoc ipsum subest fortasse, ut voluit Hoffmannus, translationi Syriacae, quae sane perverse habet „und Sache derer, die nicht einmal was *δίκη* ist wissen", sed res incerta est. In sequentibus (cap. 32, pag. 430, 14) *ἀλλὰ τούτων ἁπάντων αἴτιον, ὅπερ ἐν ἀρχῇ ἔφημεν, ἡ ἄγνοια καὶ τὸ ἐν σκότῳ που εἶναι τὸν ἑκάστου τρόπον· ὡς εἴ γε θεῶν τις ἀποκαλύψειεν ἡμῶν τοὺς βίους* e. q. s., interpretatio Syriaca omittit illud *τοὺς βίους* et deinde habet *τὸν ἑκάστου βίον* pro *τὸν ἑκάστου τρόπον,* fortasse nulla alia causa nisi quod duo in eadem significatione vocabula praesto non erant.

Praeter haec et alia quae omisi interpretatio Syriaca a Luciani textu non numquam etiam ita discrepat ut

iam in codice quo usus est interpres Luciani verba aliter quam in nostris scripta fuisse constet, sed in talibus, quod iam vidit Hoffmannus, minime semper meliorem textus formam codex ille habuit, immo videtur magis etiam quam nostri interpolatus fuisse. Cap. 2 (pag. 422,19) recte codices tradunt *κατεῖπεν αὐτοῦ πρὸς τὸν Πτολεμαῖον ὡς εἴη κεκοινωνηκὼς τῶν ὅλων*, quae ad coniurationem antea commemoratam spectare satis apertum est, in interpretatione Syriaca est „an dem, was in Tyrus gethan wurde". Cap. 27 (II, 429, 17) est in codicibus *τί γὰρ ἂν τις ἢ τὸν Σωκράτη λέγοι τὸν ἀδίκως πρὸς τοὺς Ἀθηναίους διαβεβλημένον ὡς ἀσεβῆ καὶ ἐπίβουλον ἢ τὸν Θεμιστοκλέα ἢ τὸν Μιλτιάδην, τοὺς μετὰ τηλικαύτας νίκας ἐπὶ προδοσίᾳ τῆς Ἑλλάδος ὑπόπτους γενομένους;* De Socrate illud *ὡς ἀσεβῆ καὶ ἐπίβουλον* non nimis accurate dicitur, melius tamen huic loco convenit haec brevitas quam quod in interpretis codice erat, ita expressum ab Hoffmanno, *ὡς θεοὺς ἀγνοοῦντα καὶ βλάπτοντα τοὺς πλησιάζοντας αὐτῷ* (rectius *ὡς θεοὺς οὐ νομίζοντα καὶ διαφθείροντα τοὺς συνόντας αὐτῷ*) i. e. ipsa fere accusationis verba, quae quin non ab homine Syro sed a grammatico Graeco in scriptoris verba illata sint dubitari vix potest. Quod cap. 4 (II, 422, 37) codex Guelferbytanus G solus habet *μεταγνῶναι*, ceteri *αἰσχυνθῆναι*, interpretatio *μεταγνῶναι καὶ αἰσχυνθῆναι*, notabile est, quamquam nolim ex hac re quidquam concludere. Interpolatione videtur etiam factum esse ut cap. 12 (425, 24) interpres habeat *καὶ τῆς τοῦ δυναστεύοντος φιλίας ἀποσκευασάμενος*, codices Luciani *καὶ τῆς φιλίας ἀποσκευασάμενος*, ubi nihil amplius desideratur. Non minus aperta est interpolationis ratio cap. 14 (426, 10), ubi calumniatoris verba *ἡ Στρατονίκη πρὸς αὐτὸν οὐ μάλα ἀηδῶς* in interpretatione supplentur *ἡ Στρατονίκη πρὸς αὐτὸν οὐ μάλα ἀηδὴς στραφεῖσα ἀπεῖδεν*, aut cap. 12 (425, 27) additi *θεῖ*, quod etiam in codice P interpolatum est.

Ex iis quae rectius in interpretatione leguntur quam in codicibus Lucianeis pars iam antea doctorum con-

iecturis inventa erat Cap. 1 (422, 8) pro *οἶκοι συνεχύθησαν* scribendum esse *ὅρκοι συνεχύθησαν* coniecit Cobetus, idem vidit Hoffmannus ex interpretatione. Eiusdem testimonio confirmatur *ἀφορμὰς* scriptum pro *διαφορὰς* cap. 14 (426, 6) et Solani coniecturae duo, *ἢ μίσους ἢ ἐλπίδος* pro *ἢ μίσους εὐέλπιδος* cap. 10 (425, 13) et cap. 23 (428, 19) *προσιέμενος* pro *προαισθόμενος*. Quae nova ab interprete disci possunt neque multa sunt neque plane certa. Cap. 7 (423, 29) scribitur in editionibus *οὗτος δὲ δὴ ὡς μὲν οὐκ ἀγαθὸς ἄνθρωπός ἐστι, πᾶσιν, οἶμαι, γνώριμον· οὐδεὶς γὰρ ἂν ὢν ἀγαθὸς κακῶν αἴτιος γένοιτο τῷ πλησίον, ἀλλ' ἔστιν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἀφ' ὧν εὖ ποιοῦσιν αὐτοὶ τούς φίλους, οὐκ ἀφ' ὧν τοὺς ἄλλους ἀδικοῦντες αἰτιῶνται καὶ μισεῖσθαι παρασκευάζουσιν, εὐδοκιμεῖν, δόξαν εὐνοίας προσλαβόντας*[1]), a quibus non nihil dissentit interpretatio Syriaca, haec fere secundum Hoffmannum praebens: „Bonorum enim est e pulchris quae faciunt sibi acquirere amicos, non vero e malarum rerum alios accusando per assentationem sibi facere amicos; et ex eo quod in odium coniecerunt alios gloriosos evadere.“ Interpretationis testimonium hic eo minus contemnendum esse mihi videtur quod in orationis forma qualis traditur plura displicent et ne codices Lucianei quidem inter se consentiunt. Omittit enim Gorlicensis illud *εὐδοκιμεῖν*, interpres autem verba *δόξαν εὐνοίας προσλαβόντας* legisse videtur post *αἰτιῶνται*, si quidem iis respondet quod Hoffmannus dedit „per assentationem“. Sane hoc loco stare illa verba non possunt, sed vix multo melius eo quo in codicibus traduntur. Contra multo aptior orationis forma evadit, si ante *εὐδοκιμεῖν* scripta erant. Praeterea interpres non videtur legisse *ἀφ' ὧν εὖ ποιοῦσιν αὐτοὶ τοὺς φίλους*, sed *ἀφ' ὧν εὖ ποιοῦσιν αὐτοί, τοὺς φίλους ἀνακτᾶσθαι* aut simile aliquid, neque *ἀφ' ὧν τοὺς ἄλλους ἀδικοῦντες αἰτιῶνται*, sed *ἀφ' ὧν τοὺς*

---

[1]) Ita Bekkerus ut ante Iacobitzium ferebatur, *προσλαβόντες* habent codices.

ἄλλους ὡς ἀδικοῦντας αἰτιῶνται. Itaque haec fere scripta fuisse videntur: Ἀλλ' ἔστιν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἀφ' ὧν εὖ ποιοῦσιν αὐτοὶ τοὺς φίλους ἀνακτᾶσθαι, οὐκ ἀφ' ὧν τοὺς ἄλλους ὡς ἀδικοῦντας αἰτιῶνται καὶ μισεῖσθαι παρασκευάζουσιν δόξαν εὐνοίας προσλαβόντας εὐδοκιμεῖν. Facilius iudicari potest de verbis cap. 8 (424, 14), quae scribuntur ὥςτε οὐ κατὰ τὸ δίκαιον καὶ τὸ νόμιμον καὶ τὸν ὅρκον τὸν δικαστικὸν φαίη τις ἂν γίνεσθαι τὰς διαβολάς, cum interpretationem Hoffmannus reddat ὥςτε καὶ παρὰ τὸ δίκαιον e. q. s. Re vera autem non ὥςτε οὐ κατὰ traditur sed ὥςτε καὶ κατά, quae non minus facile in ὥςτε καὶ παρὰ τὸ δίκαιον mutari possunt. Cap. 12 (425, 34) editur ὁμοίως δὲ τούτοις κἂν ταῖς φιλίαις τῶν εὐδαιμόνων τούτων γίνεται, interpretatio traditur habere ὅμοι' οὖν δὴ τούτοις, ubi de οὖν addito dubito, ὅμοια scribendum esse vidit iam Herwerdenus. Denique cap. 13 (426, 2) interpretatio recedere videtur a codicum memoria sine dubio depravata, ὡς γοῦν ἐπὶ τὸ πολὺ τὰ προσόντα τῷ διαβαλλομένῳ πρὸς τὸ χεῖρον μεταβάλλοντες οὐκ ἀπιθάνους ποιοῦνται τὰς κατηγορίας, οἷον τὸν μὲν ἰατρὸν διαβάλλουσιν ὡς φαρμακέα, τὸν πλούσιον δὲ ὡς τύραννον, τὸν τυραννικὸν δὲ ὡς προδοτικόν. Ultima corrupta esse vidit Schwartzius (Mnemosyne XIV, 200), qui scripsit τὸν πλούσιον δὲ ὡς τυραννικόν, τὸν ἐλευθέριον δὲ ὡς προδοτικόν. Leniore medicina restitui haec vix poterunt, sed pro illo τὸν ἐλευθέριον possunt aptiora excogitari, recipiendum autem est fortasse ab interprete, qui „dux exercitus" dedisse traditur, τὸν στρατηγὸν vel τὸν στρατηγικόν.

Non multa sunt quae ad ipsius libelli textum ex interpretatione disci possunt, apparet tamen fuisse illo tempore codicem qui vel ab iis quae utrique codicum nostrorum familiae communia esse videntur, satis graviter discreparet. Sed idem cum illis in multis gravibusque vitiis consentit, si quidem Hoffmannus omnia enotavit quae observatione digna sunt. Nam etiam praeter ea quae Iacobitzius et Bekkerus monuerunt plura sunt a viris doctis postea aut certo emendata aut iure in dubium

vocata, in quibus non inutiliter fortasse a viro linguae Syriacae perito nova interpretationis cum codicibus Lucianeis comparatio instituetur, ut cap. 1 (pag. 422, 1) *τῶν ἐν τῇ σκηνῇ ἀναβαινόντων* (*τῶν ἐπὶ τὴν σκηνὴν ἀναβαινόντων* Hertleinius), cap. 3 (422, 31) *ἔαδε μηνίειν* (*ἠδημόνει* Cobetus), cap. 5 (423, 5) *οἷον δὴ τὴν λύτταν καὶ τὴν ὀργὴν δεικνύουσα* (*δεικνύουσι* Cobetus), cap. 14 (426, 8) *ἢν μὲν γὰρ ζηλότυπον αὐτὸν ὄντα ἴδωσι* (*εἰδῶσι* Cobetus), cap. 17 (426, 31) *παρὰ δὲ Ἀλεξάνδρῳ μεγίστη ποτὲ πασῶν ἂν διαβολὴ λέγοιτο εἰ ἕλοιτό τις μὴ σέβειν μηδὲ προσκυνεῖν τὸν Ἡφαιστίωνα* (*μεγίστη ποτὲ πασῶν ἦν διαβολὴ εἰ λέγοιτό τις* Madvigius), cap. 28 (429, 26) *ἧς φασὶν ἐκεῖνος πολιτικῆς φιλοτιμίας ὑποκεκνισμένος* (*ὥς φασιν ἔκ τινος* egregia coniectura Herwerdenus), cap. 29 (429, 31) *κατ' ἀνδρὸς ὁμαίμου καὶ φίλου* (*ὁμαίχμου* Cobetus); quibus accedunt, de quibus ipse dubito, cap. 1 (421, 28) *τῷ μὲν προσπταίοντες ἀλόγως, τὸ δὲ ὑπερβαίνοντες οὐδὲν δέον* (*ὑπεκβαίνοντες* necessarium videtur), cap. 8 (424, 17) *δικαίας καὶ ἀμερεῖς ποιεῖσθαι τὰς κρίσεις* (fortasse *ἰσομερεῖς*), cap. 9 (424, 28) *ἐν ἀπορίᾳ καὶ ἀγνοίᾳ τοῦ πολέμου διαφθείρεσθαι* (scripserim *τοῦ πολεμίου*), cap. 19 (pag. 427, 30) *οἷα εἰκὸς ἁλισκομένης ψυχῆς καὶ ἐξηνδραποδισμένης ἔργα εἶναι* (*ἔργα εἶναι* videtur delendum esse), cap. 31 (430, 6) *μήτε ἡλικίαν τοῦ λέγοντος ὁρῶντα* (vix poterat omitti articulus ante *ἡλικίαν*), ibidem (430, 10) *ἀποδόντα καὶ τῷ διαβάλλοντι τὸν φθόνον* (vera esse non possunt; scriptum erat fortasse *τὸν ψῆφον*).

VII.

Quod ex interpretatione Syriaca apparet, iam ante codicum inter eos qui supersunt antiquissimorum aetatem fuisse qui textum traditum interpolarent, hoc magno locorum numero confirmatur, in quibus cum codices omnes consentiant, tamen depravatos eos esse certo demonstrari potest. Neque depravatio se continebat in singulis litteris mutatis, additis, omissis, sed non numquam non dubitaverunt librarii singulis neglectis in universum sententiam reddere. Talia etiam in iis accidisse de quibus nullo testimonio nunc constat non potest dubitari, sed non semper, immo rarissime, ita factum est ut nos nunc de corruptela aliquid suspicari, nedum ipsa scriptoris verba restituere possimus. Quaecumque de gravioribus depravationibus indagare sibi visi sunt viri docti ea incerta aut plane futilia esse fere omnia inveniet qui inventa illa accuratius examinabit. Emendatio Lucianea, quatenus certa aut probabilis esse potest, tota fere continetur in leviorum errorum emendatione, idque ita ut raro aliquid scriptum inveniatur in codicibus quod sensu omnino careat. Cum igitur liberior interpolatio sua natura raro certa emendatione tolli possit, corruptelae leviores certo indicio plerumque non prodantur, admodum lubricum in hoc scriptore est emendandi negotium, multoque plura cum dubitatione relinquenda sunt quam coniecturis certis restitui possunt. Rei difficultas augetur ipsius scriptoris ingenio, qui multa studiose legit et firmissima, qua plurimum valuisse videtur, memoria tenuit suisque scriptis admiscuit, in paucis ita sibi constat ut ex uno loco de altero coniectura fieri tuto

possit, cum praesertim minime pari diligentia tractare singula soleat, a cogitandi autem et dicendi severitate illa quae ab antiquis scriptoribus posci solet quam maxime absit.

Multi tamen in emendando scriptore neque sine magno fructu elaborarunt, Solanus, Hemsterhusius, Bekkerus, Cobetus, Madvigius, quo nemo fortasse magis prudentiae laudem cum summa inveniendi felicitate iunxit, Fritzschius, Sommerbrodtius, Herwerdenus aliique multi, et elaborant nunc quoque in hac re viri acutissimi, quorum sane inventis facilius et libentius uteremur, si paulo minus laeta quotannis emendationum seges cresceret neque adeo multa et aperta festinationis signa apud eos apparerent. Satis magna emendationum quae proferri solent pars retineretur si viri docti aut priorum inventa in vulgatis editionibus prolata respicere aut e codicum, non editionum scriptura proficisci aut ipsum illum locum de quo agebant iterum inspicere voluissent. Nunc nemo his inventis, in quibus sunt sane multa vere et ingeniose coniecta, recte uti poterit nisi accuratissime singulis examinatis et plerisque reiectis, valdeque desideratur editio quae omissis inutilibus aut e mero errore ortis et nullo cum fructu repetitis certa et probabilia in unum locum conferat. Nostrae aetatis editores, Fritzschius, Sommerbrodtius, Mehlerus, quamquam singula multa rectius constituerunt quam Bekkerus fecit, nimium tamen tribuere solent suis aliorumque coniecturis. Quam rem ut exemplo aliquo illustrarem, elegi libellum brevissimum, Prometheum minorem, qui nuper prodiit editus a Sommerbrodtio. Gravioris depravationis in hoc parvo libello certa exempla non apparent, levioris multa, maximam partem iam ante Bekkerum correcta. Postea quoque non nulla recte emendata, plura perperam temptata sunt. Sommerbrodtii editionem qui vel obiter inspexerit mirabitur magnum interpolationum in hoc exiguo libello numerum. Octo locis in septem brevissimis capitibus uncinorum signa ille posuit, quorum in uno (cap. 7) de codicum testimonio

quaestio est, qua de re difficile nunc est iudicare, cum praesertim ipsius Sommerbrodtii testimonia non inter se consentiant; de ceteris omnibus tollenda esse suspicionis signa mihi persuasum est. Late patet haec res in Luciani scriptis multique hoc remedio scriptorem emendare posse sibi visi sunt, neque interpolationes in Luciani textum admissas esse negari potest. Videndum tamen ne hac ratione scriptor potius quam librarii corrigatur, nam si quis hanc viam persequi et Luciani orationem recidendo inutilia castigare velit, multo etiam plura et meliora proferri poterunt quam quae nunc proferri solent. Ubique enim in Luciani scriptis apparet sermonis non abundantia aut ubertas sed luxuria et loquacitas saepius vix tolerabilis, qua maxime minui horum opusculorum elegantia mihi videtur. Neque tam proprium hoc est vitium Luciani (quamquam Herodoti imitatione et illo nativum sermonem imitandi studio quod in hoc maxime scriptore apparet eodem duci poterat) quam commune illius aetatis qua singulorum verborum propriae significationes neque ab iis qui recitabant neque ab auditoribus ea vi percipiebantur ut non eadem iterum iterumque inculcando orationis vim intendere sibi videri possent. Saepius fortasse quam *οἴκοι, οἴκοθεν, οἴκαδε* legitur apud Lucianum *οἴκοι παρ' ἑαυτῷ* (Philops. 17; I, 216, 17), *οἴκοι παρὰ σαυτῷ* (Gallus 10; I, 412, 16), *οἴκοθεν ἐκ Καρίας* (Herod. 1; I, 11, 1), *οἴκοθεν ἐκ Βοιωτίας* (Harmon. 1; I, 13, 28), *οἴκαδε παρ' αὐτοὺς* (Iupp. trag. 17; I, 142, 22), *οἴκαδε παρ' ἡμᾶς* (Gallus 33; I, 423, 38), *οἴκαδε ἐς Σκύθας* (Scyth. 3; I, 17, 9), *οἴκαδε ἐς Μήθυμναν* (Dial. marin. VIII, 2; I, 88, 24)[1]), quibus addi potest *ἐκεῖθεν παρ' ὑμῶν* (Scyth. 4; I, 17, 21), *ἄνωθεν ἐκ τοῦ ἄκρου* (Herm. 3; I, 171, 8) aliaque similia. In his ut plane sufficeret solum *οἴκοι, οἴκοθεν, οἴκαδε, ἐκεῖθεν*, ita non nimis offen-

---

[1]) Ita etiam Asini scriptor dicit *οἴκοι παρ' ἐμοί* (cap. 5; II, 349, 36), *οἴκαδε ἤλαυνεν ὡς ἑαυτόν* (c. 42; II, 366, 15). Passim in talibus haeserunt Batavi, neque tamen quisquam operam dedit ut plura eius usus exempla simul examinaret.

dimur pleniore oratione. Multo minus placet quod legitur in Hercule (cap. 8; I, 25, 26), *ὁρᾷς ὅπως παραμυθοῦμαι τὴν ἡλικίαν καὶ τὸ γῆρας τὸ ἐμαυτοῦ*[1]), aut in fine Timonis, ubi quam maxime astringendam fuisse orationem facile sentitur, *μὴ βάλλε, ὦ Τίμων, ἄπιμεν γάρ. — ἀλλ' οὐκ ἀναιμωτί γε ὑμεῖς οὐδ' ἄνευ τραυμάτων.* Videntur fuisse qui *ἀναιμωτὶ* solum non recte intellexissent, nam non minus abundanter dixit in Convivio (cap. 2; I, 230, 8) *ὅσῳ νήφοντες ἐν εἰρήνῃ καὶ ἀναιμωτὶ ἔξω βέλους ἑστιασόμεθα*[2]), quamquam alibi eodem verbo solo usus est. Minime placet quod dicit puella, *πῶς ἔφης μῆτερ ἢ τί λέγεις* (Dial. meretr. VI, 2; I, 446, 17), aut *ἐκλύομαι, ὦ Δορκὰς ὑπὸ τῆς ἀπορίας, καὶ τρέμω* (Dial. meretr. IX, 3; I, 451, 27). Taedium movent quae leguntur in Gallo (cap. 9; I, 411, 38), *ἀπῄειν εὐχόμενος ἅπασι θεοῖς ἠπιαλόν τινα ἢ πλευρῖτιν ἢ ποδάγραν ἐπιπέμψαι τῷ μαλακιζομένῳ ἐκείνῳ, οὗ ἔφεδρος ἐγὼ καὶ ἀντίδειπνος καὶ διάδοχος ἐκεκλήμην*, aut de Pythagora in Aspasiam mutato (cap. 19; I, 417, 6) *φεῦ τοῦ λόγου· καὶ γυνὴ γὰρ ἐν τοῖς ἄλλοις ὁ Πυθαγόρας ἐγένετο, καὶ ἦν ποτε χρόνος ὅτε καὶ σὺ ᾠοτόκεις, ὦ γενναιότατε ἀλεκτρυόνων, καὶ συνῆσθα Περικλεῖ Ἀσπασία οὖσα, καὶ ἐκύεις ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἔρι' ἔξαινες καὶ κρόκην κατῆγες καὶ ἐγυναικίζου ἐς τὸ ἑταιρικόν;*

---

[1]) Correxit Herwerdenus delens *καὶ τὸ γῆρας* et scribens *τὴν* pro *τό*, non nimis probabiliter. Ceterum malim haec verba parenthesis loco habere, ut una sententia inde ab initio capitis usque ad finem pertineat.

[2]) Utor occasione ut ex hoc lepidissimo libello duo vitia tollam, quibus ipsa narrationis venustas turbari aliquantum videtur. Cap. 17 (I, 234, 16) scribendum est *ὁ δὲ Ἱστιαῖος ὁ γραμματικὸς ἐρρᾳψῴδει ὕπτιος κατακείμενος* (codd. *ὕστερος*, quibus verbis socordia, contemptus, irrisio et alibi (Menippus 18; I, 312, 9, Dial. meretr. III, 3; I, 444, 33) et hic aptissime significatur, cum praesertim scriptor, qui hunc dialogum ut Philopseudes proxime cum illo coniunctos diligentissime composuit, antea modestiore accumbendi more usos esse convivas ipse indicaverit (c. 13, pag. 232, 35). In fine totius dialogi (I, 242, 30) scribendum esse censeo *ἐκεῖνό γε μὴν μεμάθηκα ἤδη, ὡς οὐκ ἀσφαλὲς ἄφρακτον ὄντα συνεστιᾶσθαι τοιούτοις σοφοῖς*, ubi *ἄπρακτον*, quod est in libris, non recte defenditur a Fritzschio neque rectius in *ἀπράγμονα* mutatur.

aut in Apologia (cap. 11; II, 146, 25) *εὑρήσεις γὰρ τὸ τῶν μουσικῶν δὴ τοῦτο, δὶς διὰ πασῶν τὸ πρᾶγμα, καὶ τοσοῦτον ἐοικότας ἀλλήλοις τοὺς βίους ὅσον μόλιβδος ἀργύρῳ καὶ χαλκὸς χρυσῷ καὶ ἀνεμόνη ῥόδῳ καὶ ἀνθρώπῳ πίθηκος.* Neque profecto dixisset in Alexandro (cap. 4; II, 72) *ἀλεξίκακε Ἡράκλεις καὶ Ζεῦ ἀποτρόπαιε καὶ Διόσκουροι σωτῆρες,* si huius generis exclamationum vim recte sensisset.

Non opus est plura exempla congerere in ea re de qua quaevis pagina volentem docere potest, quamquam concedendum est non in omnibus scriptis eundem vitii gradum apparere. Redeo ad Prometheum, in quo unum huius rei exemplum post alios in suspicionem vocavit Sommerbrodtius (cap. 6; II, 20, 6) *ὥστε τὸ τῶν μουσικῶν τοῦτο δὶς διὰ πασῶν εἶναι τὴν ἁρμονίαν, ἀπὸ τοῦ ὀξυτάτου ἐς τὸ βαρύτατον.* Ultimis verbis sane carere possumus, neque tamen magis inutilia sunt quam quae proxime praecedunt, *ἄρτι μὲν ἀεροβατοῦντας δεικνύουσα καὶ νεφέλαις ξυνόντας, ἄρτι δὲ ψυλλῶν πηδήματα διαμετροῦντας, ὡς δῆθεν τὰ ἀέρια λεπτολογουμένους,* in quibus non minore aut maiore iure haesit vir doctus Batavus, ne ille quidem quidquam de eiusdem ubertatis in proxime sequentibus exemplo monens [1]). Priorum sententiam secutus est editor etiam capite 4, *μετέστησεν αὐτὰ* (dicuntur camelus et homo bicolor) *καὶ τὸν ἄνθρωπον οὐκέτι διὰ τιμῆς ἦγεν ὡς πρὸ τοῦ, ἀλλ' ἡ μὲν κάμηλος ἀπέθανεν ἀμελουμένη, τὸν ἄνθρωπον δὲ τὸν διττὸν Θέσπιδι τῷ αὐλητῇ ἐδωρήσατο καλῶς αὐλήσαντι* [2]) *παρὰ τὸν πότον,* delens illud *τὸν ἄνθρωπον.* Non nimis diligenter rem narravit Lucianus, neque tamen neglegentius quam alia (solet enim in huius generis narratiunculis gratam quandam neglegentiam affectare), quamquam exempla prorsus gemina in talibus afferri non possunt, neque profecto in obscuro

---

[1]) R. G. P. Schwartz in Mnemosynae volumine X, pag. 248. Postea tamen alterum etiam locum mutare voluit (Mnemosyne XIII, pag. 87).

[2]) *Αὐλήσαντί* <*οἱ*> coniectura non inscita neque tamen ut mihi videtur necessaria proposuit idem Schwartzius.

est cur quod de detracto honore narravit ad solum hominem, non ad camelum simul pertinere voluerit. Ex iis quae Sommerbrodtius ipse novavit paulo difficiliorem quaestionem movent verba capitis secundi *ἐπισκώπτοντες ἐς τὸν πηλόν*, ubi *ἐς* delevit. *Ἀποσκώπτειν* saepius ita dicitur, *ἐπισκώπτειν ἔς τι* nescio num satis defendatur loco Convivii (cap. 18; I, 234, 29), ubi e codicibus nunc quidem non satis constat utrum *ἐπέσκωπτεν ἐς τοὺς παρόντας* an *ἐπέσκωπτε τοὺς παρόντας* scriptor dixerit. Neque tamen puto Lucianum praepositionum vim in talibus ita sensisse ut vel si nullo exemplo defenditur mutare illud liceat. Si autem aliquid mutandum erit, *ἀποσκώπτοντες* potius scripserim, ut Convivii illo loco fecit Herwerdenus. Omnium minime, si quidem severe iudicamus, placet *ἐπισκώπτοντες τὸν πηλόν*, cum non argilla rideatur sed figulus propter argillam cum Prometheo comparatus. Cetera quae Sommerbrodtius in suspicionem vocavit mihi ne dubitandi quidem causam praebere videntur. *Πλὴν εἰ μή* (cap. 1), quamquam in Soloecista vituperatum, saepius tamen apud Lucianum legi ad hunc ipsum locum (II, 1 pag. 218) adnotavit Fritzschius[1]), *ἐς τὴν Ἀττικὴν δριμύτητα τῶν σκωμμάτων* (cap. 2) nescio quo nomine vituperari possit, in verbis (cap. 3) *οὐ ταῦτα εἴκασέ σε τῷ Προμηθεῖ, ἀλλὰ τὸ καινουργὸν τοῦτο ἐπαινῶν* ita quidem scriptis (quod num recte fiat dubitari potest) *ἐπαινῶν* nullam difficultatem praebet, *ἔμψυχα ποιοῦσα εἶναι*

[1]) Confer Iacobitzii indicem s. v. *πλήν*. Hoc quoque Fritzschius recte vidit, scribendum esse *πλὴν εἰ μὴ ἑνὶ διαλλάττοιτε, ὅτι* etc. Coniectura, quam ipse in textum recipere non ausus est, necessaria mihi videtur et nunc certa est, quia constat non *μή* sed *μέν* esse in Vaticano 90 et Harleiano, neque ulla contra illos fides est Florentino et Marciano, quorum in partibus recentissimis et interpolatis hic libellus legitur, aut Vaticano 87, cuius librarius hic solum Vaticanum 90 descripsit temereque interpolavit. Recipienda erat etiam certa Solani coniectura (non Bluemneri, qui nuper rem apertam et e Bekkeri et Fritzschii editionibus omnibus notam ut novam protulit et fusius exposuit in Fleckeiseni annalibus anni 1887 pag. 306), *ἱπποκάμπους* (cap. 7) pro tradito *πιτυοκάμπτας* quod defendi non potest.

τὰ πλάσματα non minus bene dicitur quam *τί ἀχάριστον πρός με τὸν δῆμον ποιεῖς εἶναι* (Tyrannicida c. 10; I, 53, 36) aut *τὴν νῆσον .... ποίησον .... βεβαίως μένειν* (Dial. mar. X, 1; I, 89, 28).

Ad ceteras Sommerbrodtii mutationes transeo, quarum unam me omnino non intellegere confiteor. De suis scriptis simulata modestia Lucianus dicit (cap. 1): *Ἔμοιγε ἱκανὸν εἰ μὴ πάνυ σοι γήινα ἔδοξε μηδὲ κομιδῇ ἄξια τοῦ Καυκάσου.* Nihil in his inesse mihi videtur quod vel explicatione egeat. Sommerbrodtius tamen adnotat[1]): *Κομιδῇ ἀνάξια τοῦ Καυκάσου* „nicht ganz unwürdig des Kaukasus. Das ist doch wohl der Sinn, den der Zusammenhang erfordert. Ihm ist ja Prometheus verehrungs-, nicht strafwürdig". Apposui ipsa Sommerbrodtii verba, ut omnes de mira hac sententia iudicare possint; mihi non tam de Promethei laudibus agi videtur quam de Promethei poena, quam, ut par est, scriptorem pro re minime expetenda sed vera gravique poena habuisse satis aperte infra significavit dicens (cap. 3) *εἴ γε μὴ οὕτω φρονοίην, ἄξιος ἂν εἶναί μοι δοκῶ ὑπὸ ἑκκαίδεκα γυπῶν κείρεσθαι,* ubi Sommerbrodtius e sua ratiocinatione *ἀνάξιος* scribere debebat. Sed hic *ἄξιος* reliquit contentus iis quae in proxime sequentibus mutavit, *οὐ συνιεὶς Πτολεμαίου ἀμφότερα τὰ μετὰ τοῦ ξένου αὐτὸς πεπονθώς,* quae quid sibi velint rursus nescio. Apud Fritzschium est *οὐ συνιεὶς ὡς πολὺ ἀμορφότερα τὰ μετὰ τοῦ ξένου αὐτὸ πεπονθότα,* quod aptum est et perspicuum et id ipsum quod traditur, nisi quod proclivi errore *αὐτὰ πεποιθότα* scriptum est. *Αὐτὸ πάσχειν* a Luciano frequentari adnotavit Fritzschius exemplaque attulit, quorum uno (Dial. mort. XV, 4; I, 373, 33) *αὐτὸ* quo referatur multo magis obscurum esse potest quam hic, ubi aperte *τὸ ἄμορφον εἶναι* significat. Ne hoc quidem scio cur cap. 3 orationem planam et perspicuam immutaverit *ὁ μὲν ταῦτ' ἂν εἴποι, πρός γε τὸ εὐφημότατον ἐξηγούμενος τὸ εἰρημένον,* scribens *ὁ μὲν ταῦτ'*

---

[1]) In Fleckeiseni annalibus vol. 127 (1883) pag. 128.

ἂν εἰπὼν πρός γε τὸ εὐφημότατον ἐξηγούμενος ἂν εἴη τὸ εἰρημένον, quo idem fere dicere velle videtur, ita tamen ut oratio offensione non careat[1]). Sequentia quoque rectissime antea e codicibus edebantur, μηδὲ ἔχοι τις εἰπεῖν ἀρχαιότερόν τι τοῦ πλάσματος, οὗ τοῦτο ἀπόγονόν ἐστιν, ubi si ἀρχέτυπόν τι traditum esset quod Sommerbrodtius scripsit, fuisset saltem quod vituperari posset. Quod cap. 6 scripsit καὶ ἐν ῥυθμῷ ἔβαινε πρὸς αὐλὸν ἐνίοτε, ἀναπαίστοις μέτροις ἐποχουμένη τὰ πολλά, καὶ τὸ ὅλον τοὺς τοῦ διαλόγου ἑταίρους ἐχλεύαζε, ferri posset nisi totius loci ratio quam infra exponam obstaret; non verum esse posse quod ante Sommerbrodtium legebatur ἐνίοτε καὶ τὸ ὅλον ἀναπαίστοις μέτροις ἐποχουμένη minime concesserim. Veterem emendationem iure Sommerbrodtius recepisse mihi videtur cap. 3 scribens cum Schaefero et Fritzschio ἄξιος ἂν <εἶναί> μοι δοκῶ, contra Fritzschii et Schwidopii coniecturae cap. 5 et 6 prolatae speciosae sunt, non verae. Narraverat scriptor, Alexandrinos quibus pro elegantis iudicii exemplo utitur, camelum Ptolemaei sprevisse, quamquam χρυσῷ πᾶσα ἐκεκόσμητο καὶ ἁλουργίδι ἐπέστρωτο καὶ ὁ χαλινὸς ἦν λιθοκόλλητος. Nunc de suo novo recitationum genere timet μὴ καὶ τοὐμὸν κάμηλος ἐν Αἰγυπτίοις ᾖ, οἱ δὲ ἄνθρωποι τὸν χαλινὸν ἔτι αὐτῆς θαυμάζωσι[2]) καὶ τὴν ἁλουργίδα i. e. vereor ne specie solum et novitate decepti sint qui nunc etiam mea admirantur, minus boni iudices quam Alexandrini aliterque mox iudicaturi si accuratius rem noverint. Ita sententiam interpretantibus minime absurdum videbitur illud ἔτι neque magis illo placebit Fritzschii ἀντὶ αὐτῆς[3]). Schwidopii coniectura (c. 6), quam Sommerbrodtius in summa re secutus est,

[1]) Fritzschii coniectura a Schwartzio repetita εὐφημότερον speciosa est neque tamen probanda, cum hic de pluribus quae excogitari possunt explicandi rationibus agatur.

[2]) Θαυμάζουσι codices, quod recte videtur correctum esse.

[3]) Prorsus perversa et sententia et orationis forma efficitur Herwerdeni coniectura οἱ δὲ ἄνθρωποι τὸν χαλινὸν οὐδὲ ταύτης θαυμάζωσι καὶ τὴν ἁλουργίδα.

ex eo genere est quo quod uno loco dictum est a scriptore aliis quoque locis necessario dici debuisse ponunt. Verum est Lucianum saepius dicere *ἢ καὶ νὴ Δία*, dixit autem non minus bene etiam *νὴ Δία*. Haeserunt tamen plures, etiam Bekkerus, hoc loco, qui ita traditur *εἴ γε ὁ μὲν οἴκοι καὶ καθ' ἑαυτὸν νὴ Δία ἐν τοῖς περιπάτοις μετ' ὀλίγων τὰς διατριβὰς ἐποιεῖτο*, cui rei opponitur publica totius populi in theatro Dionysiorum licentia, et tali oppositioni illud *νὴ Δία* optime convenire videtur. Non sine causa dubitarunt de *καὶ* ante *καθ' ἑαυτόν*, quamquam retineri id posse credo. Videntur autem plerique ita iudicasse, non posse de eadem re dici *οἴκοι* et *ἐν τοῖς περιπάτοις*, *καθ' ἑαυτὸν* et *μετ' ὀλίγων*; qui tamen ita philosophantur ut fit in Platonis Protagora, sane philosophantur non minus *οἴκοι* et *καθ' ἑαυτοὺς* i. e. non publice quam *ἐν τοῖς περιπάτοις* et *μετ' ὀλίγων*. Mirum denique est Fritzschii iudicium quod secutus Sommerbrodtius initio capitis secundi scripsit *ἡμεῖς δὲ οἱ ἐς τὰ πλήθη παριόντες καὶ τὰς τοιαύτας τῶν ἀκροάσεων ἀπαγγέλλοντες* pro *ἐπαγγέλλοντες*, quod perversum esse certum esset etiam si activam formam *ἐπαγγέλλειν*, de qua non recte dubitatur, ferri non posse constaret[1]).

---

[1]) „Profiteri apud omnes summa constantia *ἐπαγγέλλεσθαι* dicitur, numquam *ἐπαγγέλλειν*, ut apud Nostrum in Vit. auct. cap. 7 *τίνα τὴν ἄσκησιν ἐπαγγέλλεται;*" Hoc etsi nuper didicimus a Schwartzio (Mnemosyne XIII, 86), tamen erunt fortasse qui de constantia ubi quaeritur uno exemplo contenti non sint, sed paulo diligentiore observatione opus esse censeant. Omitto Aristidis, Themistii, Synesii exempla, in quae casu incidi postquam ad eam rem attendere coepi; agam de uno opusculo quo nullum est magis idoneum ad illius aetatem in iis quae ad artem sophisticam pertinent usum cognoscendum. Philostratus in vitis sophistarum media forma numquam usus est nisi semel (81, 19 ed. Teubn.) in alius sophistae verbis quae attulit, de re a sophistarum arte aliena. Contra invitare homines ad audiendum, quod ipsum Lucianus Promethei loco dicit, Philostrato quattuor locis est *ἐπαγγέλλειν ἀκρόασιν* aut simile aliquid, pag. 38, 18 *ἦλθε μὲν ἐπὶ θύρας τοῦ Διονυσίου μελέτην αὐτῷ ἐπαγγέλλων* (malim *ἐπαγγελῶν*), pag. 78, 1 *ἐπήγγειλε τοῖς Ἀθηναίοις αὐτοσχεδίους λόγους, ἐρῶσιν αὐτοῦ τῆς ἀκροάσεως*, pag. 90, 31 *ἐπήγγειλε δὲ τῷ Ἡρώδῃ καὶ ἀκρόασιν*

De paucis qui restant locis minus certum iudicium est. Quod traditur capite primo *ὅτι μηδ᾽ ἐκ πηλοῦ πλάττετε*, verum esse non potest, *μὴ ἐκ πηλοῦ* coniecit Hemsterhusius, paulo melius scribetur fortasse *μηδὲν ἐκ πηλοῦ*, Struvii *μηδὲν πηλοῦ* probari posse non puto. Veteris comici de Cleone versus affertur ita, *μὴ ἄρα οὕτω με Προμηθέα λέγεις εἶναι ὥς ὁ κωμικὸς τὸν Κλέωνα φησὶν οἶσθα περὶ αὐτοῦ* e. q. s. Potest scribi cum Dindorfio *φησὶ δέ, οἶσθα, περὶ αὐτοῦ*, potest etiam, quod ego quidem praetulerim *μὴ ἄρα οὕτω με Προμηθέα λέγεις εἶναι ὥς ὁ κωμικὸς τὸν Κλέωνά φησιν — οἶσθα ⟨τὰ⟩ περὶ αὐτοῦ, Κλέων Προμηθεύς ἐστι μετὰ τὰ πράγματα*[1]). Paulo magis placet cap. 4 *ὀλίγου δεῖν ἔφυγον* quam *ὀλίγου διέφυγον*, quod Sommerbrodtius scripsit possitque videri commendari Harleiani lectione *ὀλίγου δεῖ ἔφυγον*. Cap. 5 pro tradito *ἐπεὶ δὲ οὐδὲ* aptius scribitur *ἐπεὶ οὐδὲ* quam *ἐπειδὴ οὐδέ*.

Exemplo ostendere volui quantopere cavendum sit iis qui ipsum Lucianum legere volunt ab editorum mutationibus saepe inutilibus, haud raro perversis. Neque tamen emendatione carere possumus. In hoc brevi libello

---

σχεδίου λόγου (ubi quae e duobus codicibus enotantur lectiones, *ἐπέστειλε* et *ἀπήγγειλε*, neque ferri possunt et ex eodem *ἐπήγγειλε* interpolatione ortae sunt), pag. 118, 29 *ταῦτα ἐπαγγείλαντα* (praecedit *ἐπίδειξίν σοι μελέτης ποιεῖσθαι βούλομαι*). Haec est summa illa apud omnes constantia quam Schwartzius observasse sibi visus est.

[1]) Comparari potest oratio cum alio scriptoris loco non recte adhuc tractato et ita fere, quamvis singula incerta sint, restituendo (De die nefasto cap. 30, II, 123, 3): *Πλὴν ἕν* (*εἰ* codices) *γέ τι καὶ ἐπαινέσαι μοι δώσεις πάνυ ἀστείως ὑπὸ σοῦ πεπραγμένον, ὁπότε τοῦ Τισίου τὴν τέχνην — οἶσθα ὡς τὸ δύσ⟨τηνον γερόντιον ἐξηπάτησας⟩. Κόρακος ἔργον αὐτὸς ποιήσας* (codd. *ἐποίησας*), *ἐξαρπάσας τοῦ ἀνοήτου ἐκείνου πρεσβύτου χρυσοῦς τριάκοντα, ὁ δὲ διὰ τὸν Τισίαν ἀντὶ τοῦ βιβλίου πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίας ἐξέτισε κατασοφισθείς*. Ludit in adversario, qui suum librum pro Tisiae arte vendidit, ita tamen ut ipse non Tisiam sed Coracem (corvum, raptorem) ageret, Tisiae (pecuniam solvendi, *ἐξέτισε*) partes seni illi relinquens. Loci sales perspexit Gesnerus. Neque aliter locutus est scriptor in Imaginum cap. 10 (II, 184, 8) *ὁμώνυμος γάρ ἐστι τῇ τοῦ Ἀβραδάτα ἐκείνῃ, τῇ καλῇ — οἶσθα πολλάκις ἀκούσας Ξενοφῶντος* e. q. s.

iis quae olim correcta aut supra iam a me commemorata sunt accedit mea sententia primum una Herwerdeni coniectura cap. 3, *ἐπινοήσας αὐτοὺς* pro *ἐννοήσας αὐτοὺς*, qua de re supra (pag. 78) iam monui. Praeterea prorsus certum mihi videtur capite primo scribendum esse *ζῶντα γοῦν ὡς ἀληθῶς καὶ ἔμψυχα ὑμῖν τὰ ἔργα, καὶ νὴ Δία καὶ τὸ θερμὸν αὐτῶν καὶ* (codices *ἐστὶ*) *διάπυρον καὶ τοῦτο ἐκ τοῦ Προμηθέως ἂν εἴη*[1]). Uberiorem disputationem poscit ea sententia quae toto sexto capite continetur. Non recte scribi in codicibus hunc locum apparet, pergitur enim post *ἐνίοτε καὶ τὸ ὅλον ἀναπαίστοις μέτροις ἐποχουμένη* verbis *τὰ πολλὰ τοὺς τοῦ διαλόγου ἑταίρους ἐχλεύαζε*, quae vera esse non possunt, quia aliquo modo adnectenda erant prioribus. Bekkerus *δὲ* inseruit neque multum ab eius sententia Fritzschius recessit, qui tamen praeterea maiora quaedam novavit. Ita hic fere sententiae progressus esset: *Οὐ πάνυ συνήθη διάλογος καὶ κωμῳδία, εἴ γε ὁ μὲν οἴκοι .... τὰς διατριβὰς ἐποιεῖτο, ἡ δὲ .... θεάτρῳ ὡμίλει ...., τὰ πολλὰ δὲ τοὺς τοῦ διαλόγου ἑταίρους ἐχλεύαζε .... — ὁ διάλογος δὲ σεμνοτάτας ἐποιεῖτο τὰς συνουσίας ....* Ferri haec possunt, praeferenda tamen videtur magis concinna et adstricta orationis forma, quam hic quidem facili opera restituere licet. Ostendit Lucianus dialogum et comoediam, quae ipse coniunxerat, per se quam maxime inimica esse. Ab hac sententia periodum incipit, ad eandem in fine redit. In iis quae interponuntur quantopere sibi illa opposita sint demonstrat, ut mihi videtur per duo oppositionum paria, quorum prius pertinet usque ad verba *ἐνίοτε καὶ τὸ ὅλον ἀναπαίστοις μέτροις ἐποχουμένη*, secundi membrum alterum a verbis *ὁ διάλογος δὲ* incipit, quibus quae praecedunt de comoedia dicta *τὰ πολλὰ τοὺς τοῦ διαλόγου ἑταίρους ἐχλεύαζε*, optime illis ultimis de dialogo opponuntur. Ita igitur totam

---

[1]) Schwartzii coniectura *τὸ θερμὸν αὐτῶν* <*ὅτι*> *ἐστὶ διάπυρον* non placet, Sommerbrodtius suam olim cum dubitatione prolatam (in Fleckeiseni annalibus vol. 129 pag. 281) in editionis textum non recepit, signo tamen depravationis perperam ad *θερμὸν* apposito.

sententiam puto esse conformandam: *Οὐ πάνυ γοῦν συνήθη καὶ φίλα ἐξ ἀρχῆς ἦν ὁ διάλογος καὶ ἡ κωμῳδία, εἴ γε ὁ μὲν .... μετ' ὀλίγων τὰς διατριβὰς ἐποιεῖτο, ἡ δὲ .... θεάτρῳ ὡμίλει .... καὶ ἐν ῥυθμῷ ἔβαινε πρὸς αὐλόν, ἐνίοτε καὶ τὸ ὅλον ἀναπαίστοις μέτροις ἐποχουμένη, <καὶ ἡ μὲν> τὰ πολλὰ τοὺς τοῦ διαλόγου ἑταίρους ἐχλεύαζε ...., ὁ διάλογος δὲ σεμνοτάτας ἐποιεῖτο τὰς συνουσίας* e. q. s.

Ne emendandi quidem ratio in omnibus Luciani scriptis eadem est. Sunt quae ita fere scribi possunt ut traduntur, alia gravius corrupta sunt, e quibus unum libellum tractabo, dialogos meretricios, qui maxime digni criticorum curis mihi videntur. Sunt sane multa in iis de quibus nunc certo iudicari nondum potest, quae tamen facili opera aliquando constituentur, si boni utriusque classis fontes, Laur. 57, 51 et Vat. 76 prioris, Pal. 73 aliique secundae classis examinati erunt. Nunc secundae classis memoriam probabile est non multum abesse ab iis quae in editione principe et plerisque ceterorum et in codice F leguntur, prioris vestigia quaedam apparent in codice Parisino *Δ*, e quo maxime ad quintum dialogum multa et gravia enotantur, rarius in aliis. Codex autem ille *Δ* cum praeterea summa libidine interpolatus sit, saepissime dubitatio relinquitur. Rem difficilem et lubricam Iacobitzius et Bekkerus ita absolverunt ut raro certo erraverint. In dialogo quinto (cap. 4, I, 445, 17) ad quaestionem *μὴ οὖν τι καὶ σὺ τοιοῦτο πέπονθας;* respondetur *οὔκ, ὦ Λέαινα, ἀλλ' ἐγεννήθην μὲν ὁμοία ταῖς ἄλλαις ὑμῖν* e. q. s. Habet *οὐκ* solus codex *Δ*, ceteri *οὔκουν*, quod perperam receptum est. Contra Dial. VI, 4 (pag. 447, 14) recte Iacobitzius retinuit *καὶ τούτοις συγκαθεύδειν δεήσει;* ubi Bekkerus *τοιούτοις* e solo *Δ* recepit. E solo codice *Δ* recipiendum erat et recte receptum est a Iacobitzio VII, 3 (448, 28) *οὐ καλὸς ἦν καὶ ἀστεῖος καὶ ἡλικιώτης Χαιρέου,* ubi Bekkerus cum vulgata et codice

F alterum *καὶ* omisit, e sola editione principe IV, 2 (442, 34) *πόσα οἴει ἐπὶ τούτῳ μεμηχανῆσθαί με,* ubi rursus Iacobitzium rectius iudicasse puto quam Bekkerum *τοῦτον* e vulgata retinentem. Bekkerus enim, qui in aliis incomparabili iudicandi facultate Luciani textum constituit, hic in re incerta ita egisse videtur ut faciliora pro interpolatis haberet, cum tamen Lucianus in his dialogis, etsi in oratione plura etiam fortasse quam alibi peccavit, simplicitatem tamen sermonis vulgaris adeo feliciter imitatus sit, ut quae simplicia et plana sunt tuto ei restituere liceat. Sed plurima huius generis incerta sunt, contra ex iis quae, quantum nunc videre licet, in utriusque classis archetypo scripta fuisse videntur, non nulla etiam praeter ea quae priores, maxime Cobetus, correxerunt pro certo emendari possunt.

Saepius in his dialogis ita peccatum est ut brevia quaedam vocabula paucorum verborum spatio intermisso per errorem repeterentur. Unum huius rei exemplum invenit Bekkerus, delens particulam *γοῦν* in his (V, 4; pag. 445, 19), *„ἡ γνώμη δὲ καὶ ἡ ἐπιθυμία καὶ τἆλλα πάντα ἀνδρός ἐστί μοι“. „καὶ ἱκανὴ [γοῦν] σοι“, ἔφην, „ἐπιθυμία“; „πάρεχε γοῦν ὦ Λέαινα, εἰ ἀπιστεῖς“, ἔφη, „καὶ γνώσῃ“* e. q. s.[1]), sed plura reliquit. Delendam esse voculam *ὡς* apparet II, 3 (pag. 440, 11), *πεμφθεῖσα γὰρ ὡς ἔρια ὠνήσαιτό μοι ἐπὶ τὴν γαστέρα καὶ εὔξαιτο τῇ Λοχείᾳ [ὡς] ὑπὲρ ἐμοῦ.* Bis eundem errorem admisit librarius repetens *οἷα* e praecedentibus *οἷα ἐστὶν* et *γὰρ* bis ponens dial. III, 3 (441, 26), *Θαὶς δὲ [οἷα] καὶ ἔσκωψεν εὐθὺς εἰς ἐμέ. „εἴ γάρ τις“, ἔφη, „μὴ αἰσχύνεται λεπτὰ ἔχουσα τὰ σκέλη, ὀρχήσεται καὶ αὐτὴ ἐξαναστᾶσα“. τί ἂν λέγοιμι, ὦ μῆτερ; ἀνέστην [γὰρ] καὶ ὠρχησάμην. τί γὰρ ἔδει ποιεῖν;* Ad alterum comparari potest dial. XII, 3 (457, 30), *τί ἂν μακρὰ λέγοιμι; ὑπερέβην, ἧκον* e. q. s., *οἷα* autem illud ad

---

[1]) Potest tamen hic de emendationis veritate dubitari neque scio an Lucianus scripserit *καὶ ἱκανὴ οὖν σοι, ἔφην, <ἡ> ἐπιθυμία;* nam articulus hic mihi videtur omitti non posse.

simplex narrandi genus quod his puellis Lucianus tribuit non melius convenit quam rhetorica repetitio IV, 2 (442, 32), „*τίνα Ἑρμότιμον*", [*τίνα*] *ἔφην*, „*ἢ ποίαν στήλην λέγεις;*" Etiam quae praeterea verborum additorum exempla occurrunt, casu potius quam interpolandi consilio invecta esse videntur. Mater quae filiae vitae meretriciae praecepta exemplo demonstravit, ita pergit (VI, 3; pag. 447, 6): *Ταῦτα γὰρ* [*αὐτὴν*] *ἅπαντες ἐπαινοῦσιν*, eademque paulo postea dicit (VI, 4; pag. 447, 15) *οὗτοι μέντοι καὶ πλείονα διδόασιν, οἱ καλοὶ δὲ αὐτὸ μόνον καλοὶ θέλουσιν εἶναι·* [*καὶ*] *σοὶ δὲ μελέτω ἀεὶ τοῦ πλείονος* e. q. s., ut Polemo miles dial. IX. 4 (451, 34) *ἐπειγόμενος ἐπὶ τοιαύτην γυναῖκα.* [*καὶ*] *δίκαια μέντοι πέπονθα καί σοι χάριν ἔχω.* Casu videtur etiam additum esse Chaereae nomen dial. VII, 3 (448, 24), quo facto prorsus periit lusus scriptoris venustissimus. Mater cum filiam vituperasset quod Chaeream, pauperem amatorem admitteret spreto divite rustico Acharnensi, repondet puella *τί οὖν· ἐχρῆν Χαιρέαν καταλείψασαν παραδέξασθαι τὸν ἐργάτην ἐκεῖνον κινάβρας ἀπόζοντα; λεῖός μοι, φασί, καὶ χοιρίσκος Ἀχαρνικός*[1]). Ut enim haec traduntur et scribuntur, *λεῖός μοι, φασί, Χαιρέας καὶ χοιρίσκος Ἀχαρνικός*, placendi significationem neque *λεῖός μοι* habere potest et multo etiam minus illud *χοιρίσκος Ἀχαρνικός*, omnium minime autem perspicitur quo modo utrumque coniungi possit. Nunc quam festive puella eodem proverbio et ceteras meretrices perstringat, quae vel apri Acharnici saetas non curant modo nummos accipiant, et ipsum illum adolescentem Acharnensem, facile apparet. Contra cogitari de interpolatione possit dial. XII extr. (458, 24), *πλὴν τὸ δεῖνα, ὅρα, ὦ Λυσία, μή τινι εἴπῃς τὸ περὶ τῆς κόμης*, ubi *ὅρα* aliis locis a viris doctis saepe iniuria in suspicionem vocatum vix videtur posse defendi.

Neque minus saepe accidit ut litterae vel verba omitterentur. Glycerae quaerenti *οἶσθα αὐτὸν ἢ ἐπιλέλησαι*

---

[1]) *Ἀκαρνάνιος* habent codices aperto errore.

τὸν ἄνθρωπον; Thais respondet (I, 1; pag. 438, 24) *οὔκ, ἀλλ' οἶδα, ὦ Γλυκέριον, <ὃς> καὶ συνέπινε μεθ' ἡμῶν πέρυσιν ἐν τοῖς ἁλώοις.* Ut mulier Thessala incantamentis amatorem ad Melittam trahere possit, necesse est *τι αὐτοῦ τοῦ ἀνδρὸς <παρ>εῖναι* (IV, 4; pag. 443, 25)[1]. Dial. V, 3 (445, 1) videtur scribendum esse *ἐν χρῷ δὲ ὤφθη <καὶ> αὐτὴ καθάπερ οἱ σφόδρα ἀνδρώδεις τῶν ἀθλητῶν ἀποκεκαρμένη.* Leaena ubi narravit Megillam sibi imperasse *ἐνταῦθα κάθευδε μεθ' ἡμῶν μέση ἀμφοτέρων,* Clonarium quaerit *<ἐπεὶ δὲ> ἐκάθευδες, τὸ μετὰ ταῦτα τί ἐγένετο;* (V, 2; pag. 444, 30). Articulus videtur periisse dial. VI, 2 (446, 20) *καθάπερ ἡ Δαφνίδος θυγάτηρ <ἡ> Λύρα,* et fortasse etiam XI, 2 (455, 13) *καὶ μὴν ἐπόμνυμαι <τὰ> δύο καὶ εἴκοσιν ἐς τὸν ἐσόμενον ἐλαφηβολιῶνα τελέσειν.* Dial. IX, 4 (452, 9) conicio ancillam dicere *ὀργιζομένῳ οὐχ οἷόν τε παρ<αμ>εῖναι Πολέμωνι,* ut dixit Lucianus Hermot. 59 (I, 197, 2) *ἢ οὐκ ἂν εἴκοσιν ἔτη παρέμενες αὐτῷ* et Alex. 43 (II, 85, 22) *πόσα δὲ ἡμῖν ἔτη παραμενεῖς χρησμῳδῶν;* Dixisse scriptorem probabile est dial. IX, 5 (452, 23) *ἐγὼ δὲ καὶ Τίβιος οὑτοσ<ί>* et XIV, 3 (461, 30), ubi mutatio re vera est nulla, *καὶ Λυδῇ ταυτῃ<ί>.* Neque recte traditur X, 3 (453, 24) *ὁ πατὴρ γὰρ Ἀρισταινέτῳ παρέδωκέ με φιλοσοφεῖν αὐτῷ,* sed necessarium est scribere *<συμ>φιλοσοφεῖν αὐτῷ,* quo verbo de discipuli cum magistro consuetudine Lucianus saepius usus est. Ut oratio solita simplicitate procedat inserendum est *ὃ* ante *ὁρᾷς* XIV, 3 (461, 38), *τουτὶ πρῶτον, <ὃ> ὁρᾷς, τὸ χιτώνιον ἐκεῖνος ἐπρίατο καὶ τὸν ὅρμον τὸν παχύτερον.*

Alia ratione erratum est in verbis dial. II, 1 (439, 27), *καὶ σὺ δ' οὖν πρότερον ἰδοῦ αὐτὴν καὶ τὸ πρόσωπον καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἰδέ, μή σε ἀνιάτω εἰ πάνυ γλαυκοὺς ἔχει αὐτοὺς μηδὲ ὅτι διάστροφοί εἰσι καὶ ἐς ἀλλήλους ὁρῶσιν.* Scriptorem enim voluisse apparet non *μή σε ἀνιάτω* „ne

[1]) Etiam dial. mort. XX, 3 (I, 378, 15) scribendum est *πρῶτός σοι ὁ Πυθαγόρας <πάρ>εστιν,* ut dicitur Icarom. 2 (I, 156, 11) *Μένιππος ἡμῖν διοπετὴς πάρεστιν ἐξ οὐρανοῦ* et illo ipso loco paulo post (cap. 4, pag. 378, 28 *Ἐμπεδοκλῆς, ὦ Μένιππε, ἡμίεφθος ἀπὸ τῆς Αἴτνης παρών.*

te offendat", sed μή σε ἀνιᾷ „vide an te offendat". In eodem dialogo cap. 2 (439, 33) necessario legendum est ἐγὼ δὲ ἢ σιμήν τινα ἢ καλὴν νύμφην οἶδα, ἥ ὅτι Φείδων ὁ Ἀλωπεκῆθεν (οἶμαί γὰρ ἐκεῖνον λέγειν σε) θυγατέρα ὅλως ἔχει (scribitur εἶχεν) ὡραίαν ἤδη γάμου. Initio dialogi quarti (pag. 441, 13) videtur scribendum esse θοἰμάτιον γὰρ ἂν καὶ τὰ χρυσία ταῦτα προείμην ἡδέως, non θαἰμάτια, cum θοιμάτια traditum esse videatur et vix aliud puella dicat quam vestem et ornamenta quae secum habet. Dialogo nono miles et mercator eodem tempore ad eandem meretricem veniunt, mercator iubet eam secum intro ire, ad quae in editionibus ancilla meretricis respondet ἐλευθέρα μέν ἐστι καὶ ἀκολουθήσει ἣν ἐθέλῃ (IX, 4; 452, 7). Sed neque tam quando illum sequatur agitur quam utrum sequatur, neque apte haec dicit ancilla quae in proxime sequentibus rogata a puella quid faciat ei suadet ut illum sequatur neque omnino id agere potest ut divitem amatorem offendat. Itaque danda haec sunt militi, qui mercatori dicit ἐλευθέρα μέν ἐστι καὶ ἀκολουθήσει ᾧ ἂν ἐθέλῃ, ad quae aptissime meretrix τί ποιῶ, Δορκάς; Verum esse non potest quod traditur X, 2 (pag. 453, 9), ἥ δὲ περιπατοῦντα ἔφη ἰδοῦσα μετὰ τοῦ Ἀρισταινέτου νεῦσαι πόῤῥω, ἐκεῖνον δὲ ἐρυθριάσαντα κάτω ὁρᾶν καὶ μηκέτι παρενεγκεῖν τὸν ὀφθαλμόν, ubi προσενεγκεῖν dicendum erat. Ibidem cap. 3 (453, 22) cum epistula adolescentis incipiat a verbis πῶς μὲν ἐφίλησά σε, puella queritur αἰαῖ τάλαν, οὐδὲ τὸ χαίρειν προέγραψεν (traditur προσέγραψεν), ut ipse Lucianus dixit in libello Pro lapsu (cap. 3; II, 149, 19) ἐν ἐπιστολῆς δὲ ἀρχῇ Κλέων ὁ Ἀθηναίων δημαγωγὸς ἀπὸ Σφακτηρίας πρῶτον χαίρειν προὔθηκεν (ubi non πρῶτος χαίρειν προὔθηκεν cum Herwerdeno sed πρῶτος τὸ χαίρειν προὔθηκεν scribendum est) et Chrysalus in Plauti Bacchidibus (v. 1000) „non prius salutem scripsit?" Depravatum esse apparet etiam XI, 1 (454, 25) μὴ ἀποκρύψῃς με, ὡς ἂν καὶ τοῦτο ἀπολαύσω τῆς νυκτὸς ἀγρυπνήσασα μετὰ σοῦ, ubi scriptorem dedisse puto ὡς καὶ ἂν (vel potius κἂν) τοῦτο ἀπολαύσω, ut dixit dial.

marin. I, 3 (I, 82, 29) *ὅμως ἐραστὴν ἔχω κἂν τοῦτον*, Prometheus 2 (I, 76, 7) *ἀλλὰ κἂν ὑμεῖς γοῦν, ὦ Ἥφαιστε καὶ Ἑρμῆ, κατελεήσατέ με*, Iuppit. tragoed. c. 32 (I, 148, 4) *ὅπου με γυμνὸν τὸ τόξον ἔχοντα κἂν τὰ εἴδωλα φοβήσεται.* In eodem dialogo cap. 2 (455, 10) orationem non recte puto constitutam esse a Bekkero, sed solo *ἅ* post *φανερὰ* deleto scribendum esse *εἶδες δὲ ὅλην ἀκριβῶς ἢ τὸ πρόσωπον μόνον καὶ ὅσα τοῦ σώματος φανερὰ εἶδες Φιληματίου καὶ ὡς ἐχρῆν γυναῖκα πέντε καὶ τετταράκοντα ἔτη γεγονυῖαν ἤδη;* Dial. XII, 1 (456, 8) apparet scribendum esse *οἶσθ᾽ ὅσους ἐραστὰς ἀπεπεμψάμην* pro *παρεπεμψάμην.* Dial. XIII, 3 in ficta narratione de militis cum Paphlagone pugna scribendum esse credo (459, 13) *ἀλλ᾽ ἐγὼ τολμήσας προῆλθον* (traditur *παρῆλθον*) *ἐς τὸ μέσον, οὐ χεῖρον τοῦ Παφλαγόνος ὡπλισμένος, ἀλλὰ πάγχρυσος καὶ αὐτός.* Denique in ultimo dialogo, XV, 2 (463, 1) dubito de verbis *ἐν τοσούτῳ δὲ κτύπος ἠκούετο καὶ βοή*, ubi non tam brevi temporis spatio facta esse illa narrantur, sed dum ea quae antea dicta sunt geruntur, ut *ἐν τούτῳ* necessario posci mihi videatur; nam in verbis dial. IX, 1 (450, 23) *ἐν τοσούτῳ δὲ τὸν θεράποντα ἰδοῦσα . . . . ἠρόμην*, ut aliis eiusdem generis locis, defendi illud potest, cum ancilla dicat se brevi temporis spatio quod servus dum dominus ab amicis salutabatur vacabat ad eum compellandum usam esse.

VIII.

De Luciani *προλαλιαῖς*, quarum supra mentionem feci, addere pauca placuit, quoniam huius generis oratiunculae non modo elegantia et venustate non ultimum inter Luciani scripta locum tenent, sed etiam non nulla de ipsius Luciani vita deque illius aetatis moribus disci ex iis possunt. Codices si sequimur, duo solum e Luciani scriptis huic generi adscribuntur, Dionysus et Heracles, quod fortasse non casu fit, cum illa opuscula ultimis Luciani annis conscripta esse constet, ut suspicari saltem liceat, priora huius generis scripta ab ipso scriptore in unum praefationum volumen coniuncta fuisse ideoque propria inscriptione qua genus scriptionis significaretur caruisse. Hoc certum est, praeter duo illa esse opuscula non nulla quae quin eiusdem generis sint dubitari omnino non possit. Omnium enim adeo eadem est orationis forma et via ut saepius etiam iisdem verbis usus sit scriptor. Incipit a lepida aliqua fabella narranda, cuius venustate auditorum animi capiantur, deinde comparationem instituit inter suas ipsius res et ea quae narraverat, quod ita semper facit ut aut auditorum laudem admisceat aut suam modestiam demonstret aut animos benevolos et attentos ad ea quae dicturus est sibi exoptet. Hac forma conscripti sunt libelli De dipsadibus, Herodotus, Harmonides, Scytha, De electro, neque multum discrepat Zeuxis, in quo primum de se ipso disputat, deinde subito ad fabulam de Zeuxide transit (*ἐθέλω γοῦν ὑμῖν καὶ τὸ τοῦ γραφέως διηγήσασθαι*, cap. 3), cui postquam aliam de Antiocho addidit, ad sua revertit ultimisque verbis sequentem orationem apertissime significat.

Dubitari potest de Somnio, quod paulo alio modo, iuvenes ad eruditionis studia hortans, finivit, cum ipsam narrationem et transitum narratione finita (cap. 17) plane eodem modo quo in praefationibus usus est institueret[1]). Contra certissimum est alienos ab hoc genere esse libellos De domo et Prometheum minorem, qui suum habent consilium neque ullo modo ad aliam orationem sequentem spectant.

In his praefationibus quae Lucianus de se ipso tradit coniungenda sunt cum iis quae praeterea ex eius scriptis de ipsius vita et studiis constant, quae sunt sane paucissima. Certum est Lucianum natum esse anno fere 125. Narrat enim ipse se prope quadragenarium studia rhetorica deseruisse et scribendi illud genus quo maxime neque sine causa gloriatur, coniunctum e dialogo philosophico et comoedia, colere incepisse, et scripsit quadragenarius Hermotimum, quo in libello omnium fere maxime etiam e Platonis dialogorum imitatione pendet. Atque omnes huius generis libros Athenis conscriptos esse apparet, migravit autem Athenas belli Parthici temporibus et scripsit Peregrinum anno 165. Itaque certum est Lucianum paulo ante annum 165 ad novum scribendi genus se convertisse et anno fere 125 natum esse. Postquam autem ad proprium scribendi genus delatus est, hoc ita constanter tenuisse videtur ut aetatis discrimina in iis quae deinde scripsit inveniri vix possint, certe adhuc quidem inventa non sint. Peregrinum si comparaveris cum Alexandro plus quindecim annis postea scripto, interesse aliquid senties, sed multo minus quam interest inter Peregrinum et libellos paulo ante scriptos, De historia et Imagines[2]). Habet Lucianus paucas quasdam res in quibus tenere se solet, ad quas ubique, non numquam

---

[1]) Fortasse Lucianus hunc libellum ut praefationem scripsit, postea autem eius finem immutavit, cum seorsum a ceteris praefationibus cum aliis libris ederet. Certe animadvertendum est hoc unum e scriptis rhetoricis in parte A tradi.

[2]) Imaginibus laudatur Panthea, imperatoris amica, a Luciano; a Marco Aurelio (VIII, 37) commemoratur Panthea ita, ut mortui im-

etiam iisdem paene verbis, redit, ut divellere non possis Peregrinum a Fugitivis, Fugitivos a Piscatore, Piscatorem ab Hermotimo, Hermotimum a Gallo, Gallum a Convivio, Convivium a Philopseudibus et sic deinceps[1]). Admodum placuisse haec scripta auditoribus et ex aliis libellis discimus et maxime e Zeuxide, quam orationem non eo tempore habebat quo rhetor orbem terrarum peragravit, cui aetati olim pleraque huius generis scripta tribuebant, sed cum iam ad novum scribendi genus, quod satis aperte in ipsa oratiuncula significat, se convertisset[2]) Praefatio haec non habita est Athenis (cfr. ξένον ἄνθρωπον cap. 1; I, 62, 9), ubi autem habita sit non constat. Quattuor praeterea huius generis orationes, si Somnium omittimus, extra Athenas habitas esse certum est, Harmonidem et Electrum, quas ubi habuerit nescimus, auditores scriptorem nondum novisse aperte significatur, Scytham et Herodotum, quas in Macedonia habitas esse ipse scriptor dicit. Atque ex hac sola re conicere licet, non rhetoricae scriptoris aetati praefationes tribuendas esse; mirum enim esset, si, cum illa aetate usque ad Oceanum pervenisset, duae de quibus solis constat praefationes in Macedonia habitae essent. Contra admodum probabile est scriptorem eo tempore quo Athenis degebat et Atheniensibus scipta sua

peratoris amicam tunc etiam vivam significari appareat. Omnino recte igitur iudicaverunt qui eandem mulierem ab utroque dici eamque L. Veri belli Parthici occasione in Asia degentis amicam fuisse coniecerunt, neque rectius de hac re dubitationem movisse mihi videtur Brunsius (Mus. Rhen. 1888 pag. 102) quam alia de Luciani scriptis illo loco exposuit. Sed neque Smyrnae Pantheam vidit Lucianus, ut voluit Friedlaenderus, neque in alio Ioniae oppido (cfr. cap. 2; II, 180, 29 sq.), sed, ni fallor, Antiochiae, ubi Verus per quadriennium maximam anni partem degebat (Capitol. vit. Veri VII, 3).

[1]) Ne Croiseto quidem contigit ut singulorum operum tempora definiret, quamquam de Platonis, Menippi, veteris comoediae in variis libris imitatione non nulla eleganter et vere observavit in libri quem de Luciani vita et scriptis emisit Parisiis anno 1882 capite altero.

[2]) De hac re rectius quam antea factum est iudicaverunt et Croisetus (pag. 28) et Adolphus Thimme in dissertatione Gottingensi anni 1884 (pag. 5).

legere solebat, non numquam etiam in oppidis vicinis idem fecisse. Solebat enim scripta sua primum publice recitare, deinde in hominum eruditorum usum edere, quod de libello de mercede conductis ipse tradit dicens (Apologia cap. 3; II, 143, 24) *καὶ ἐν πολλῷ πλήθει δειχθὲν . . . . καὶ ἰδίᾳ παρὰ τοῖς πεπαιδευμένοις, ὁπόσοι ὁμιλεῖν αὐτῷ καὶ διὰ χειρὸς ἔχειν ἠξίωσαν.* In iis quae extra urbem habitae sunt praefationibus duo genera discerni possunt. Plures, scilicet populus qui ad Lucianum audiendum convenerat, appellantur in Zeuxide, Electro, Herodoto, qui conventus alicuius illis regionibus sollemnis occasione habitus est. Contra in Harmonide et Scytha et unus et plures appellantur, scilicet vir unus in sua civitate summa potentia florens, in cuius domo Lucianus recitavit priusquam in publicum prodiret, et amici ab eo invitati. Athenis ipsis una tantum ex huius aetatis praefationibus videtur habita esse, Dipsades, quarum in fine dicit, quanto saepius ad auditores prodeat, tanto maiore eius rei cupiditate se incendi. Nihilo minus Lucianum aliquando recitandi finem fecisse ex ipsius verbis apparet (Heracles 1; I, 25, 9), *εἴ μοι καλῶς ἔχοι τηλικῷδε ὄντι καὶ πάλαι τῶν ἐπιδείξεων πεπαυμένῳ αὖθις ὑπὲρ ἐμαυτοῦ ψῆφον διδόναι τοσούτοις δικασταῖς,* quod quam ob rem fecerit e praefationibus iis quas senex habuit, Baccho et Hercule, perspicere possumus. Antea de auditorum plausu ne dubitaverat quidem, nisi quatenus modestiam simulare ex illius aetatis moribus, qui Philostrati vitis sophistarum egregie illustrantur, necesse erat. In Zeuxide etiam castigaverat perversam audientium laudem, in Electro monuerat ne nimia cum expectatione homines ad recitationes suas accederent. Nunc in Baccho ab auditoribus petit ne solum rumorem secuti sua contemnant multosque ne venisse quidem ad se audiendum ipse dicit, similisque, etsi non ita aperta, Herculis ratio est. Quod autem alterius peregrinationis occasione Bacchum et Heraclem habitos esse et ad declamationes rhetoricas pertinere crediderunt, veram non esse hanc sententiam certum est.

Satis enim perspicue novum scribendi genus a se inventum significat, quamque narrat fabellam de senibus fontis Silenii potoribus, mirum illam in modum nuper acceptam, ea ita facile explicatur ut significet, ut illi lymphatici oratione nocte interpellata altero die eodem loco quo dicendi finem fecerant pergant, ita se quae olim facere solitus erat nunc nulla re mutata denuo incipere. Auditores autem monet ut antiqui convivae veterum commissationum memores denuo ad se accedant, quod optime dictum est in ea urbe in qua lectiones instituere consueverat, ineptum esset in itinere ad auditores dictum quos semel vel iterum viserat. Athenis igitur ad veterem morem Lucianus rediit, quod quo successu fecerit in obscuro est, quamquam non multum profecisse eum est probabile, cum ne convenisse quidem multi ad eum audiendum videantur, neque scio an haec causa ei fuerit ut ultima senectute munus Aegyptiacum susciperet. Neque ullam probabiliorem causam invenio qua antea motus esse videatur ut a recitandi more desisteret quam eandem illam quam hominum iudicia illa aetate subierunt mutationem. Nam Lucianus ipse sibi constitit neque minus eleganter aut polite Bacchum et Herculem scripsit quam priora. Vita autem eius per admodum longum temporis spatium extenditur eamque maxime aetatem comprehendit qua hominum doctiorum studia mirum in modum videntur immutata et imminuta esse. Lucianus ipse veteres scriptores usque eo noverat ut et eorum dicendi genere et rebus apud eos traditis perpetuo uteretur, neque facile Luciani scripta placere poterant nisi apud auditores qui easdem res pueri didicerant quoque singuli lusus pertinerent nullo negotio intellexerunt. Sed eo maxime tempore quo summo cum plausu Luciani scripta accipiebantur factum videtur esse ut ipsa fortasse novae sophistarum artis admiratione veterum scriptorum studium paulatim obscuraretur, cuius rei idoneum testem habemus Philostratum, qui non multo post Luciani mortem turpissimam in iis quae de antiquis oratoribus

scripsit prodit inscitiam, neque mirum est hac re maxime imminutam esse scriptorum Lucianeorum aestimationem.

Breviter tangam non nulla quae in his scriptiunculis certo aut probabiliter emendari et facili opera probari posse mihi videntur. In Dipsadibus initio cap. 5 (I, 9, 19) post *κατασβεννύοι* videtur scribendum esse <*οὖ*> *λέγουσιν ἰατρῶν παῖδες ἐκείνην τὴν αἰτίαν εἶναι*, cap. 6 (I, 9, 32) *καί τινας γυναῖκας ὑδροφορούσας ἅμα πολλὰς* <*πολὺ*> *καταχεῖν τὸ ὕδωρ αὐτοῦ*, quia articulus aliter explicari non potest, denique eodem capite (I, 9, 35) *γεγράφθαι δὲ πρὸς* <*τούτοις*> *τοὐπίγραμμα*, quod iam Herwerdenus indicavit. In Scythae cap. 8 (I, 19, 8) orationis forma ni fallor flagitatur *οὐ γὰρ μικρὸν ἦν Σόλων ἐπαινῶν, ἀλλ' οἱ ἄνθρωποι καὶ τοῦτο ὡς νομοθέτῃ ἐπείθοντο* <*ὅτι*> *ἐφίλουν οὓς ἐκεῖνος δοκιμάζοι καὶ ἐπίστευον ἀρίστους ἄνδρας εἶναι*, ubi fortasse etiam *αὐτῷ* inserendum est. Cap. 10 (I, 19, 37) usus videtur poscere *μόνον οὐ ταῖς αὐταῖς συλλαβαῖς*, quod Iacobitzium coniecisse video, pro tradito *μόνον οὐκ αὐταῖς συλλαβαῖς*, neque minus in fine (pag. 20, 27) necessarium est *ὡς φίλοι ἡμῖν* <*οἱ*> *τοιοῦτοι γένοιντο*. In Baccho scribendum esse puto cap. 1 (I, 21, 7) *ἀσπίσι γὰρ εἴκαζον, οἶμαι, τὰ τύμπανα*, cum *καὶ τὰ τύμπανα*, quod traditur, e sententiarum conexu explicari non possit[1]). Gravius corrupta sunt verba capitis tertii (I, 21, 28) *σφίσι δὲ καὶ νικᾶν αἰσχρὸν ἐδόκει καὶ φονεύειν γύναια μεμηνότα καὶ θηλυμίτρην ἄρχοντα καὶ μεθύον σμικρὸν γερόντιον καὶ ἡμιστρατιώτην ἄλλον καὶ γυμνῆτας ὀρχηστάς, πάντας γελοίους*. Ultima verba, *πάντας γελοίους*, vim orationis mirum in

[1]) *Καὶ* delendum esse putavit Hartmannus postque eum Herwerdenus. In libello de calumnia cap. 5 (II, 423, 15) *μετάνοια, οἶμαι, αὕτη ἐλέγετο* Bekkerus coniecit pro *μετάνοια καὶ αὕτη ἐλέγετο*, in Icaromenippi cap. 38 (I, 158, 34) videtur scribendum esse *καίτοι πρό γε τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως ἀδύνατον, οἶμαι, χρόνον καὶ τόπον ἐπινοεῖν* (cfr. Iovem tragoedum c. 20: I, 143, 25). Codices adhuc examinati habent *ἀδύνατον καὶ χρόνον καὶ τόπον ἐπινοεῖν*, quod multo minus aptum est, tolerari tamen fortasse posset, nisi e Vaticano 90 traderetur in margine *οἶμαι* additum esse, quod e priore familia sumptum et ita ut feci accipiendum esse credo.

modum infringunt multoque magis offensioni sunt quam quae plerumque temptari solent, neque tamen diiudicaverim utrum Luciano, quem nimiam dicendi abundantiam consulto etiam quaesivisse supra exposui, relinquenda sint an delenda aut fortasse scribendum sit *πάντας γελοίους <εἶναι οἰομένοις>*. Contra certum mihi videtur aptam sententiam non inesse verbis quae praecedunt, *καὶ μεθύον σμικρὸν γερόντιον καὶ ἡμιστρατιώτην ἄλλον*, ubi *ἡμιτράγον*, quod iam Wielandius tacite correxisse videtur et nuper invenit etiam Hartmannus, ipsa re flagitatur, totus autem locus ita videtur conformandus esse ut duo Bacchi legati dicantur iidem quos supra descripsit (pag. 21, 13), *ὑποστρατηγεῖν δὲ δύο, ἕνα μέν τινα βραχὺν πρεσβύτην . . . ., ἕτερον δὲ τεράστιον ἄνθρωπον, τράγῳ τὰ νέρθεν ἐοικότα*. Scribendum igitur videtur *καὶ μεθύον σμικρὸν γερόντιον στρατηγὸν καὶ ἡμιτράγον ἄλλον*[1]). Cap. 4 (I, 22, 2) scribendum esse apparet *λοχαγοὶ δὲ καὶ ταξίαρχοι <οἱ> σάτυροι ἐγκαθειστήκεσαν*. Cap. 5 (I, 22, 27) non sine causa Bekkerus offendit in verbis *κώμων κοινῶν τῶν τότε καιρῶν;* quod autem proposuit, *καινῶν* pro *καιρῶν*, neque per se placet (immo, si quid mutandum est, *καιρῶν* potius simpliciter deleverim), neque ita tollitur vitium non minus grave eo quod in sententia positum est, metri vestigia adeo aperta qualia admisisse Lucianum vix crediderim. Nulla autem est difficultas, si scriptorem poetae nescio cuius versu hic usum esse ponimus. Heraclis locum cap. 7 (I, 25, 12) ita scribendum esse puto, *τέως μὲν γὰρ ἐδεδίειν μή τινι ὑμῶν δόξαιμι κομιδῇ μειρακιώδη ταῦτα ποιεῖν καὶ παρὰ τὴν ἡλικίαν νεανιεύεσθαι κᾆτά τις Ὁμηρικὸς νεανίσκος ἐπιπλήξει<έ> μοι εἰπὼν τὸ σὴ δὲ βίη λέλυται καὶ χαλεπὸν γῆρας κατείληφέ σε, ἠπεδανὸς δὲ νύ τοι θεράπων, βραδέες δέ τοι ἵπποι, ἐς τοὺς πόδας τοῦτο ἀποσκώπτων*. Nam quod ipsa Homeri

---

[1]) Dicendi genus comparari potest cum verbis Rhetorum praeceptoris (c. 10; I, 69, 23) *μαχαιροποιοῦ υἱὸν καὶ ἄλλον Ἀτρομήτου τινὸς γραμματιστοῦ*, et Traiectus (c. 3; I, 326, 28) *δεδεμένον τινὰ ἐν αὐτοῖς καὶ ἄλλον γελῶντα ὁρῶ*.

verba reposuit Bekkerus, in eundem errorem incidit quem saepius commiserunt ut aliorum scriptorum ita Luciani quoque editores, aut de suo contra scriptoris morem, quem elegans illa leviter attingendi et in memoriam revocandi ratio non minus decet quam scholastica diligentia, eius verba corrigentes aut codices recentiores eodem consilio interpolatos secuti[1]). Denique in Zeuxide manca est oratio in iis quae leguntur cap. 3 (pag. 63, 1), *εἶτα περὶ Μαλέαν, οἶμαι, καταδύσης τῆς ὁλκάδος ἀπολέσθαι ἅπαντα καὶ τὴν γραφήν*, ubi *καὶ* ⟨*ἐν αὐτοῖς καὶ*⟩ *τὴν γραφὴν* videtur scribendum esse, et in proxime sequentibus, *πλὴν ἀλλὰ τήν γε εἰκόνα τῆς εἰκόνος εἶδον καὶ αὐτὸς ὑμῖν ὡς ἂν οἷός τε ὦ δείξω τῷ λόγῳ*, ubi vitium esse vidit Fritzschius, qui pro *εἶδον* scripsit *ἰδών*, paulo magis fortasse placebit servato *εἶδον* mutare *αὐτὸς* in *αὐτήν*. Eiusdem 'dialogi c. 6 (I, 63, 34) orationis concinnitate flagitari videtur *τὴν θήλειαν δὲ ἵππον τε* (ita recte Fritzschius pro tradito *γε*) *τῆς καλλίστης . . . . . τὸ δὲ ἄνω ἡμίτομον γυναικὸς παγκάλου*, pro tradito *πάγκαλον*.

---

[1]) Inter exempla multa quae conferri possunt proxime ad hunc locum accedunt verba libelli de merc. cond. c. 16 (II, 131, 13), *ὥστε συνεχῶς τὸ Ὁμηρικὸν ἐκεῖνο ἐπιφθέγγεσθαι, οὐ νέμεσις Τρῶας καὶ ἐυκνήμιδας Ἀχαιοὺς πολλὰ πονεῖν καὶ ὑπομένειν ὑπὲρ τῆς τοσαύτης εὐδαιμονίας.* Proprium sane huius loci est quod scriptor, postquam ab ipsis Homeri verbis recessit, mox denuo sequentem Homeri versum accurate refert, sed ne hoc quidem adeo offensioni esse mihi videtur ut ferri non possit, cum praesertim scriptor ea quae de pedibus iocatur ut novum lusum praecedentibus addere videatur.

IX.

De duobus libris falso sub Luciani nomine traditis quae in antecedentibus dixi hic accuratius exponam. Macrobios quod supra (pag. 29) posui scriptos esse saeculo quarto nunc argumentis confirmandum mihi est. Libellum non esse Lucianeum omnes consentiunt, maxime propter dicendi exilitatem, quae mihi videtur non minus quam a Luciani ingenio ab universa huius saeculi studiorum ratione abhorrere, ita quidem ut florentis artis sophisticae aetate nobili Romano, qualis Quintillus fuisse putandus est, huius generis liber diei natalis occasione offerri vix potuerit. Insunt etiam in oratione vitia quaedam quae recentiorem aetatem et scriptorem graece non nimis doctum prodere videantur, velut cap. 1 (II, 387, 6) *ἱστορήσας τοῖς φίλοις* (amicis narravi), cap. 7 (pag. 388, 24) *ἐργάσαιο σεαυτῷ . . . . μήκιστόν τε ἅμα καὶ ὑγιεινότατον βίον*, cap. 8 (388, 32) *στεῤῥότατα βιῶσαι* (cum firmissima valetudine vixisse?) Sed alia extant argumenta certiora, quibus vetamur saltem ad iuvenilem Luciani aetatem aut Tiberii tempora libellum referre. De imperatore dicitur cap. 7 (388, 20) *ὧν ἕνα καὶ εὐσεβεστάτῃ μεγάλου θειοτάτου αὐτοκράτορος τύχῃ* e. q. s., ubi significari apparet illud „pius felix“, quod imperatorum Romanorum nominibus in nummis et titulis additur primum Commodi temporibus inde ab anno 185[1]), deinde a Caracalla eiusque successoribus. Ad quartum autem saeculum ducimur ipso libelli initio, si modo scriptoris verba recte interpretamur.

---

[1]) Cfr. Ekhelium, doctr. numm. vet. VIII, pag. 454, cuius observatio titulorum quoque usu confirmatur.

Ὄναρ τι, inquit, *τοῦτο, λαμπρότατε Κυιντίλλε, κελευσθεὶς προσφέρω σοι δῶρον τοὺς μακροβίους, πάλαι μὲν τὸ ὄναρ ἰδὼν καὶ ἱστορήσας τοῖς φίλοις, ὅτε ἐτίθεσο τῷ δευτέρῳ σου παιδὶ τοὔνομα,* quod vertunt „cum nomen poneres filio tuo secundo“. Sed hoc si voluit, debebat aut ut minus accurate tempus definiret, non nominis dati sed nascendi, rei gravioris, tempore uti, aut accurate ipsum illum diem quo filii onomasteria Quintillus celebravit indicare, neque satis apparet qua re hac occasione maxime *μακροβίους προσφέρειν*, ut ait, a diis somnio illo iussus sit. Contra omnia facillime explicantur, si nomen puero inditum ipsum illud Macrobius erat, quo nominum genere inter nobiles Romanos saeculo quarto plures usi sunt[1]). Saeculo quarto autem recentior libellus esse non potest, quia neque per se probabile est in Italia inde a saeculo quinto quemquam graece aliquid conscripsisse aut tam bonis fontibus usum esse et ipsis scriptoris verbis significatur totius imperii imperator in Italia degens (cap. 9; II. 389, 2). Accuratius libelli tempus certo definiri vix poterit. Nihil enim concludere licet ex iis quae dicit de sene aliquo (cap. 7, pag. 388, 20), *ὧν ἕνα καὶ εὐσεβεστάτη μεγάλου θειοτάτου αὐτοκράτορος τύχη εἰς τὴν τελεωτάτην ἀγαγοῦσα τάξιν εὐηργέτηκε τὰ μέγιστα τὴν οἰκουμένην τὴν ἑαυτοῦ,* cum neque de *τάξει* neque de homine quidquam divinari possit. Quae autem de imperatore optat (cap. 9; 388, 38), *ὥστε καὶ ἡμᾶς χρηστοτέρας ἔχειν τὰς ἐλπίδας, τελείους ἡμῖν τὰς εὐχὰς ἔσεσθαι πρὸς τὸ εἰς μήκιστόν τε καὶ λιπαρὸν τὸν πάσης γῆς καὶ θαλάττης δεσπότην γῆρας ἀφικέσθαι, τῇ ἑαυτοῦ οἰκουμένῃ βασιλεύοντα ἤδη καὶ γέροντα,* ea non recte viri docti omnes de sene imperatore accipiunt; immo de iuvene imperatore optat scriptor ut non modo senex fiat sed etiam senex imperet, id est ne unquam senectutis infirmitate coactus imperium deponat. Quintilli autem nomen non ita rarum erat ut eo ad tempus definiendum uti liceat, quamquam non improbabilis

---

[1]) Cfr. Borghesium, Oeuvres III pag. 510.

coniectura mihi videtur, fuisse illum C. Togium Quintillum v. c. correctorem Apuliae et Calabriae tituli Aeclanensis (C. I. L. IX, 1127), eundem, ut coniecit Mommsenus, cum Tocio Maximo v. c. curatore rei publicae Beneventanae, qui Juliano Caesari statuam ponendam curavit (C. I. L. IX, 1561)[1]. Certe Juliani aetati et opusculum Luciani scriptis rhetoricis adhaerens bene conveniret et scriptoris quae saepius apparet erga deos pietas.

Dudum observatum est inter longaevos quorum scriptor mentionem facit neminem Tiberii aetate recentiorem esse, eaque causa et Rankius (Pollux et Lucianus pag. 16, sq.) et Bertolotto (Rivista di filologia 1886 pag. 225 sq.) adducti sunt ut illa ipsa aetate scriptorem vixisse contenderent[2]. Sed rectius Bergkius (Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1849 pag. 11 sq.) iudicavit ea re nihil probari nisi fontem scriptoris illius aetatis esse, quamquam idem vir doctus omnino erravit de ipsa observatione dubitans et Phlegontis Tralliani de longaevis libello hunc scriptorem usum esse coniciens. Phlegontis enim ille liber quamquam admodum depravatus et mutilatus aetatem tulit (Müller, F. H. G. III, 608; Rerum naturalium scriptores graeci minores vol. I. Paradoxographi ed. Keller pag. 85), tamen certum est eum de iis tantum agere voluisse qui supra centesimum annum vixerunt neque, quae erat Bergkii sententia, casu ceterorum memoriam periisse. Composuit enim libellum ita ut pro fonte primario haberet scriptorem aliquem qui secundum censum anni 74 eorum hominum nomina, originem, aetatem, qui in Italiae regione octava illo anno centum aut plures vitae annos habebant collegerat[3]. Iis adiunxit Phlegon nescio unde petitos

---

[1]) Tociorum familia occurrit etiam in eiusdem aetatis titulo Suessano (C. I. L. X, 4753).

[2]) Quod Kellerus in paradoxographorum editione pag. LXXII dicit, constare Pseudoluciani de macrobiis librum circa a. 150 p. Chr. conscriptum esse, nescio unde compertum habeat.

[3]) Eodem scriptore usum esse, non ipsas tabulas censorias inspexisse Plinium (hist. nat. VII, 49, 162—165) ex ea re apparet quod

centum annorum homines e certis quibusdam provinciis, deinde pauca de Democrito, Ctesibio, Hieronymo, Arganthonio (fortasse etiam de aliis paucis claris viris quorum memoria in libro nunc non comparet) ex eodem Tiberianae aetatis scriptore, cuius opusculum Pseudolucianus non adhibuisse, sed totum in suum libellum transtulisse videtur, denique de duobus hominibus quos ipse viderat[1]). Quae omnia ita composuit ut tota disputatio secundum annorum numeros a centesimo incipiens procederet.

---

ille etiam ut Phlegon de sola octava regione egit. Ad censum anni 74 redire quae Phlegon tradit mirum est Bergkium negasse, verum de tota quaestione perspexit Mommsenus (Römisches Staatsrecht II, 1³, 370, cfr. etiam pag. 417 adnot. 2). Communis autem ille Plinii et Phlegontis fons erat fortasse Asconii de longaevis liber, quem scripsisse illum probabiliter coniecerunt Kiesslingius et Schoellius (praef. in Asconium pag. VIII); nam et narratio de nonaginta annorum homine, quem Asconius iuvenis viderat, tradita apud Suidam (s. v. *Ἀπίκιος Μάρκος*, Aelianus ed. Hercher II, 240) iure ad eum refertur, et testimonio eius in re simili hoc ipso loco utitur Plinius (VII, 159). Iam eum librum e quo Plinius sumpsit quae de regionis octavae longaevis tradit scriptum esse inter annos 74 et 77 vel 78, quo ipse hunc locum scripsit (VII, 162), apparet, Asconium autem talem librum composuisse ut suam ipsius senectutem consolaretur veri non dissimile est, neque in quemquam alium melius videtur convenire illa actis publicis utendi ratio. Neque scio an Hieronymi testimonium, qui clarum habitum fuisse Asconium anno 76 tradit, non ad oculorum aciem aetatis anno septuagesimo tertio amissam spectet, ut Kiesslingius et Schoellius (pag. VI) voluerunt, sed ad ea quae Asconius talis libri occasione de se ipse tradiderat, adhibita a Suetonio. Quod si verum est, non anno 3 p. Chr. natus est Asconius sed, ut alia ratione ductus voluerat iam Madvigius (Disputatio critica pag. 16), aliquanto, fortasse duodecim annis, ante, et optime poterat Quintiliano (I, 7, 24) narrare quo modo Livius verba quasi et sibi pronuntiaverit aut scripserit. Nam quae hoc testimonio, si editorum sententiam sequimur, movetur difficultas (cfr. eorum praefationem pag. VI), ea ut fortasse tolerabilis ita in re incerta minime contemnenda esse mihi videtur.

[1]) Fausto Caesaris servo e Sabinis et Iulia Modestina primipilarii liberta; apparet enim defectum hoc loco (pag. 89, 21 ed. Keller) non

Non magis quam de Macrobiis de Asino nunc dubitatur, postquam etiam Rohdius, qui olim[1]) aliter indicaverat, nuper libellum non ipsius esse Luciani concessit[2]). Sed haec questio artissime cohaeret cum alia, de qua neque a Rohdio neque a quoquam alio adhuc recte iudicatum esse mihi videtur, quamquam multi iam de ea disputaverunt[3]). Easdem res quae in Asino narrantur narrat etiam Apuleius in Metamorphoseon libris idque ita ut cum Asini scriptore haud raro vel in minimis consentiat. Accedit tertius scriptor, Lucius Patrensis, cuius Metamorphoseon libros primum et alterum adeo prope ad Asinum accedere auctor est Photius (cod. 129, pag. 96 b), ut ille hoc unum dubitet, uter utrum exscripserit. Qua de quaestione nos quoque, quamquam Lucii Patrensis libri aetatem non tulerunt, tamen iudicare etiam possumus.

In Asino, ut nunc eum legimus, fabula quaedam ita narratur ut nihil aliud nisi legentium oblectationem

---

post *Κορσιόλων*, ut fit, sed post *καθ' ἡμᾶς ἔτι οὖσα* statuendum esse, quia Carseolanam mulierem (non Brixellensem) in tabulis censoriis regionis octavae non invenit sed de suo addidit.

[1]) In libello „Ueber Lucians Schrift *Λούκιος ἢ ὄνος*" etc., Lipsiae 1869.

[2]) In museo Rhenano vol. 40 (1885) pag. 91.

[3]) Scripta haec erant quo tempore prodiit Caroli Buergeri de hac re commentatio (De Lucio Patrensi, dissert. Berol. anni 1887), qui primus non modo quae ratio inter tria illa opera intercedat in summa re rectissime perspexit sed etiam de Apuleii et graeci scriptoris consilio non nulla egregie observavit. Cum tamen ille et consilium secutus sit a meo diversum (quippe qui plenam et accuratam inter utrumque librum comparationem instituerit, qua in re paulo plus quam par erat ex Apuleii narratione ad commune utriusque scriptoris exemplar rettulisse mihi videtur) et ex argumentis non nulla omiserit quae prorsus certa esse credo, aliis usus quae ego ut minus certa omiseram, nolui ea quae scripseram retinere aut immutare, cum praesertim vix brevioris disputationis fuisset singula quae in Buergeri commentatione non probo refutare quam quid ipse sentirem exponere. Moneo igitur hoc loco, et ea quae de Photii verbis contra Rohdium disputavi in summa re praecepta esse a Buergero (pag. 6 sq.) et de Asini locis capp. 15, 17, 24 quod ego iudicavi iam illum fere protulisse (pag. 38, 39, 13).

quaesivisse videatur scriptor, irridendi superstitionem aut miraculis terrendi consilium in eo non appareat. Scriptor Lucium fingit iter facere in Thessaliam, terram magicis artibus celebrem, ut ibi in asinum eum mutatum esse tradere possit, et in fine rursus ex asino hominem facit. Sed his semel concessis nihil per totum libellum accidit quod contra rerum naturam fiat, eaque patitur asinus quae pati asinum humana mente praeditum consentaneum erat, nisi quod, ut fieri necesse est in fabulis, cum arte quadam, modestissime tamen, et iocandi occasiones quaeruntur et legentium expectatio excitatur. Sed utrumque longe abest et ab ea ratione qua in Philopseudibus et Vera historia Lucianus quam plurimas res narrat consulto ita fictas ut credi non possint, et ab eo portenta et scelera congerendi studio quod in Apuleii metamorphoseon libris apparet. Qua in re neque Rohdium recte iudicasse neque Goldbacherum[1]) non tam demonstari potest quam omnes qui aliarum quaestionum ratione non habita libellum perlegent sensuros esse confido, consilium scriptoris, si quidem de eo in tali libello quaeri potest, non aliud esse nisi narrationis ad tenendos legentium animos idoneae et hilaritate quadam conspersae.

Cum hoc scriptoris consilio optime convenit quaesita narrandi simplicitas, quam iure in eo agnovit Rohdius, neque quidquam, si in universum orationis formam et res narratas spectes, in libello inest quod offensioni sit aut ex alius scriptoris opere eius explicationem petere cogat. Accuratius autem singulis examinatis non nulla occurrunt quae aliter explicari non possunt nisi ut ex alio libro ea excerpta et contracta esse credamus. De levioribus huius rei exemplis iudicari certo non potest, quia per se spectata possent fortasse aut excusari simplici illo et minus accurato narrandi genere aut tolli emendatione, cum admodum male libellum traditum esse

---

[1]) Zeitschrift für die östreichischen Gymnasien XXIII (1872) pag. 323 sq.

constet. Alia tamen ita comparata sunt ut aliam explicationem non admittant, quorum etsi pleraque iam ab aliis observata sunt, tamen non inutile erit exempla componere.

Lucius postquam ad Hipparchum devertit, die sequenti per urbem errat occasionem captaturus videndae sagae Thessalae artes magicas exercentis. Occurrit ei mulier, quae eum amicae filium esse agnoscit utque apud se habitet invitat. Quod postquam ille negavit, Hipparchum iam se adiisse dicens, illa monet eum ut caveat ab hospitis uxore magicarum artium perita. Quod ubi comperit, gaudens illud quod foris quaesiverat domi apud se esse quaque ratione quod volebat efficere possit circumspiciens domum redit. Optime haec inventa sunt et bene etiam narrata praeter ea quae de sermonis inter Lucium et mulierem illam initio scriptor dicit (cap. 4, 349, 19), *ὡς δὲ πλησιαίτερον γίνομαι, προσαγορεύει με ἡ γυνὴ καὶ ἀμείβομαι αὐτῇ ὁμοίως· καὶ φησὶν „ἐγὼ Ἄβροιά εἰμι, εἴ τινα τῆς σῆς μητρὸς φίλην ἀκούεις“*. Neque unde Lucium agnoverit traditur neque quid ei dixerit et prorsus obscurum est *καὶ ἀμείβομαι αὐτῇ ὁμοίως*. Apud Apuleium senex mulieris lateri adhaerens Lucium agnoscit, deinde mulier ipsa monita quam similis ille sit matri animadvertit, nomen suum dicit quaque affinitate cum Lucii matre coniuncta sit exponit. Quae in Asino narrantur contracta videntur e pleniore narratione in qua mulier primum Lucium appellavit, ille unde se novisset quaesivit, deinde illa nomen suum dixit, fortasse etiam plura addidit.

Asinus a patre virginis cum qua fugam a latronibus susceperat equorum pastori traditur ut apud illum ab omni negotio vacuus degat. Tamen ibi quoque varia patitur et castrationis etiam periculo terretur (cap. 34, pag. 362, 38). *Ἐπεὶ δὲ ἦν νὺξ βαθεῖα, ἄγγελός τις ἀπὸ τῆς κώμης ἦλθεν εἰς τὸν ἀγρὸν καὶ τὴν ἔπαυλιν, ταύτην λέγων τὴν νεόνυμφον κόρην, τὴν ὑπὸ τοῖς λῃσταῖς γενομένην, καὶ τὸν ταύτης νυμφίον περὶ δείλην ὀψίαν ἀμφοτέρους αὐτοὺς ἐν τῷ αἰγιαλῷ περιπατοῦντας ἐπιπολάσαν ἄφνω τὴν*

θάλασσαν ἁρπάσαι καὶ ἀφανεῖς ποιῆσαι, καὶ τέλος αὐτοῖς τοῦτο τῆς συμφορᾶς καὶ τοῦ θανάτου γενέσθαι. Dominorum domo extincta pastores aufugiunt ducentes etiam asinum, qui ita ex illo periculo servatur. In his illud primum offensioni est quod de virginis patre nihil omnino narratur, qui tamen si etiam tum vivebat, domus non erat vacuefacta. Quae autem de novorum maritorum morte narrantur, et mira sunt et ea orationis forma conscripta quae intellegi vix possit longeque absit ab eo dicendi genere quod alibi hic scriptor sequitur. Emendatione nihil hic proficitur, sed apparet uberiorem disputationem aut inepte contractam aut omnino expulsam esse aliis eius loco festinanter repositis[1]).

Cap. 49 (pag. 369, 34) narratur *ὁ δὲ Μενεκλῆς, ὁ δεσπότης ἡμῶν, ὥσπερ ἔφην, ἐκ τῆς Θεσσαλονίκης δεῦρο ἐληλύθει ἐπ' αἰτίᾳ τοιαύτῃ.* Neque de nomine domini cuius servi asinum emerant neque de itineris causa in antecedentibus quidquam dictum est. Apparet autem ex Apuleio (X, 18) non tam in antecedentibus aliquid omissum quam hoc loco orationem non bene contractam esse; nam apud illum quoque de domini nomine et patria deque itineris causa hic demum agitur.

Asinus in theatro in humanam faciem reformatus apud praesidem nomen suum patriamque dicit ab eoque in domum suam recipitur, *ἐν τούτῳ δὲ* (c. 55; pag. 372, 30) *καὶ ὁ ἀδελφὸς ὁ ἐμὸς ἀφίκετο, ἀργύριον καὶ ἄλλα μοι πολλὰ κομίζων, κἂν τούτῳ με ὁ ἄρχων δημοσίᾳ πάντων ἀκουόντων ἀπολύει, καὶ ἐλθόντες ἐπὶ θάλασσαν ναῦν ἐσκεψάμεθα* e. q. s. Fratrem pecuniam aliaque in Lucii usum necessaria Patris Thessalonicam non *ἐν τούτῳ* afferre potuisse apparet, sed narrandum erat Lucium apud praesidem tam diu remansisse donec frater Patris Thessalonicae adesse posset. Ut autem praeses Lucium publice absolveret post ea quae

[1]) Neque tamen credo eorum locum tenuisse apud scriptorem primarium ea quae Apuleius tradit octavi libri initio, qua de re conferenda sunt quae contra Maassium disputavit Buergerus pag. 45 sq.

narraverat scriptor opus non erat, nisi ipsam illam rem accuratius describere volebat, quod factum esse eo libro quo Asini scriptor utebatur mihi persuasum est.

Iam ex his exemplis et alius libri epitomam Asinum esse disci potest et de excerptoris consilio satis constat. Ut narratio recte procedere posset necessario exponendae erant res quaedam quae neque cum ipsius asini fatis arte cohaerebant neque per se ita comparatae erant ut ad legentium delectationem multum conferre possent; eas epitomator sine damno omittere posse sibi videbatur. Consilium autem eius cuius librum Asini scriptor contraxit ullo modo mutatum esse neque ex his locis demonstrari potest neque e ceteris eius rei quae afferri possunt exemplis.

Iure offendit Wielandius in iis quae cap. 15 (pag. 354, 6) narrantur, *κἀγὼ συνέις, ποῤῥωτέρω ποι τῆς φάτνης ἀποχωρήσας, ἑστὼς ἐγέλων· ὁ δέ μοι γέλως ὀγκηθμὸς ἦν. ταῦτα γὰρ ἐνενόουν πρὸς ἐμαυτόν· „ὦ τῆς ἀκαίρου ταύτης περιεργίας. τί δέ, εἰ λύκος παρεισέλθοι ἢ ἄλλο τι θηρίον; κινδυνεύεταί μοι μηδὲν κακὸν πεποιηκότι διαφθαρῆναι“.* Nam huius generis cogitationes risum movere Lucio non poterant. Non dubito quin in libro pleniore paulo plura etiam de Lucii cogitationibus tradita fuerint, quae non recte hic contracta sunt.

Idem Wielandius recte ut videtur observavit non plenam esse narrationem cap. 17 (354, 31), *ἐπὶ τούτῳ ἡμέρα τε ἤδη ἦν καὶ ἡμεῖς ὄρη πολλὰ ἀναβεβήκειμεν, καὶ στόματα δὲ ἡμῶν δεσμῷ ἐπείχετο ὡς μὴ περιβοσκόμενοι τὴν ὁδὸν ἐς τὸ ἄριστον ἀναλίσκοιμεν, ὥστε ἐς τὴν τότε καὶ ἔμεινα ὄνος.* Nam incidisse asinum iter facientem in rosaria expressis verbis narrandum erat. Apuleius (III, 29) rem paulo aliter narrat, Lucium vidisse quidem rosas, metu tamen latronum iis non uti maluisse, ne mutatus in hominem ab iis occideretur, quod fictum esse posset ab illo scriptore, qui in talibus argutari solet; cum autem illud *καὶ στόματα δὲ ἡμῶν δεσμῷ ἐπείχετο,* in quo iure offendit Bekkerus, nullam habeat difficultatem, si scriptor antea aliam

eiusdem rei causam attulerat, et illud quod Wielandius desideravit et quod Apuleius habet in pleniore libro fuisse videtur. Bis praeterea (VII, 15; X, 28) rosarum mentionem facit Apuleius ubi in graeco libello nihil eiusmodi legitur, idque ita ut propter anni tempus asinum eas invenire non potuisse significet. Asini scriptorem primarium talia non nimis anxie curasse eiusque narrationem emendatam esse ab Apuleio mirum non esset; tamen, cum eo quidem tempore quo apud hortulanum asinus est hiemem esse et Apuleius (IX, 32) narret et graeci libelli scriptor (cap. 34), nescio an haec quoque ex integro libro sumpta sint.

Asinus properato cursu cum rapta virgine a latronibus profugit (cap. 24; 358, 14), *ἐπεὶ δὲ ἥκομεν ἔνθα ἐσχίζετο τριπλῆ ὁδός, οἱ πολέμιοι ἡμᾶς καταλαμβάνουσιν ἀναστρέφοντες, καὶ πόῤῥωθεν εὐθὺς πρὸς τὴν σελήνην ἔγνωσαν τοὺς δυστυχεῖς αἰχμαλώτους, καὶ προσδραμόντες λαμβάνονταί μου.* In trivio maxime cur hoc fiat ex Asini narratione non apparet. Quid integri libri scriptor narraverit docet Apuleius (VI, 29), apud quem, ubi ad illud trivium perventum est, virgo asinum dextrorsum ad patriam suam dirigit, ille renititur, quia ea via latrones abiisse viderat, dumque ita fugae mora fit, a latronibus deprehenduntur.

A deae Syriae sacerdotibus, quos clamore suo prodiderat, asinus crudelissime punitur (c. 38; 364, 28), *γυμνὸν ἤδη προσδέουσί με δένδρῳ μεγάλῳ, εἶτα ἐκείνῃ τῇ ἐκ τῶν ἀστραγάλων μάστιγι παίοντες ὀλίγον ἐδέησαν ἀποκτεῖναι.* De illo flagello nihil antea narratum est. Quid rei sit apparet ex Apuleio, qui hic (VIII, 30) non minus de „flagro illo pecuinis ossibus catenato“ loquitur, idem autem ante, ubi de illis sacerdotibus accuratius quam in Asino fit exponit, flagrum quoque illud descripserat (VIII, 28 arrepto denique flagro quod semiviris illis proprium gestamen est, contortis taeniis lanosi velleris prolixe fimbriatum et multiiugis talis ovium tesseratum indidem sese multinodis commulcat ictibus), procul dubio,

ut docet illud *ἐκείνῃ τῇ ἐκ τῶν ἀστραγάλων μάστιγι*, communem fontem secutus[1]).

In iis quae de asini in pistrino vita narrantur fortasse aliquid omissum est ab epitomatore (cap. 42); nolim tamen hoc pro certo affirmare, neque dubito quin ea quae Apuleius hoc loco (IX, 11) narrat omnia ab illo addita sint.

Cap. 45 (pag. 367, 21) in verbis *ὁ δὲ στρατιώτης ἐκ τῆς ὁδοῦ τότε μόλις ἐξαναστάς, ὥς ἔφασαν, καρηβαρῶν ταῖς πληγαῖς ἦλθεν ἐς τὴν πόλιν* illud *ὥς ἔφασαν* nihil aliud significare potest quam quod Apuleius dicit (IX, 41) „ut postea didici"; neque tamen hoc verbis inesse aut emendatione aptam orationem restituendam esse puto, sed rursus ab epitomatore minus bene orationem conformatam esse credo.

Asinus igitur qui extat epitome est e libro aliquo in quo idem argumentum eodem modo narratum erat ita facta ut et oratio non numquam contraheretur et ea quae minus prope cum re summa cohaerebant neque satis iucunda epitomatori videbantur, aut plane omitterentur aut brevissime tangerentur. Cum hac re quae ex ipso libello satis certo perspici potest comparare licet testimonia, non modo Photii, sed etiam codicis Vaticani 90[2]), qui in fine libri exhibet *Λουκιανοῦ ἐπιτομὴ τῶν Λουκίου μεταμορφώσεων*. Nam quod Rohdius hanc subscriptionem sumptam esse coniecit e Photii verbis, eius sententiae causam idoneam me non videre confiteor. Photius ipse tradit Lucii Patrensis libros primum et alterum tantum non transscriptos esse e Luciani Asino aut contra Luciani opusculum e Lucii libris, illudque alterum magis se credere, quantum in re incerta suspicari liceat. *Καὶ γὰρ ὡς ἀπὸ πλάτους τῶν Λουκίου λόγων ὁ Λουκιανὸς ἀπολεπτύνας καὶ περιελὼν ὅσα μὴ ἐδόκει αὐτῷ πρὸς τὸν οἰκεῖον*

---

[1]) De hoc exemplo omnium gravissimo video monuisse etiam Bursianum in actis academiae Monacensis anni 1881 pag. 123.

[2]) De Courierii codice Marciano confer quae supra (pag. 41) dixi.

χρήσιμα σκοπόν, αὐταῖς τε λέξεσι καὶ συντάξεσιν εἰς ἕνα τὰ λοιπὰ συναρμόσας λόγον, Λοῦκις ἢ Ὄνος ἐπέγραψε τὸ ἐκεῖθεν ὑποσυληθέν. Dicit igitur Lucianum partem eorum quae Lucius narraverat omnino omisisse, cetera non immutata in suum librum transtulisse, et apparet eum ex utriusque libri comparatione ad eandem sententiam pervenisse, ad quam nos quoque solo libro Lucianeo accurate examinato ducimur. Probabile sane est epitomatorem, qui illud egit ut rerum narratarum summam e Lucii libris excerperet, ad singula non nimis diligenter attendisse, et pleraque eorum quae in orationis forma iure vituperantur non Lucio sed illi tribuenda esse, sed haec levissima fere sunt, quae Photium facile poterant aut fugere aut ab eo omitti, quia illud *αὐταῖς τε λέξεσι καὶ συντάξεσιν* in universum nihilo minus vere dictum erat. Pergit Photius ita: *Γέμει δὲ ὁ ἑκατέρου λόγος πλασμάτων μὲν μυθικῶν, ἀῤῥητοποιίας δὲ αἰσχρᾶς. πλὴν ὁ μὲν Λουκιανὸς σκώπτων καὶ διασύρων τὴν Ἑλληνικὴν δεισιδαιμονίαν, ὥσπερ κἀν τοῖς ἄλλοις, καὶ τοῦτον συνέταττεν, ὁ δὲ Λούκιος σπουδάζων τε καὶ πιστὰς νομίζων τὰς ἐξ ἀνθρώπων εἰς ἀλλήλους μεταμορφώσεις τάς τε ἐξ ἀλόγων εἰς ἀνθρώπους καὶ ἀνάπαλιν καὶ τὸν ἄλλον τῶν παλαιῶν μύθων ὕθλον καὶ φλήναφον, γραφῇ παρεδίδου ταῦτα καὶ συνύφαινεν.* Ab his verbis Rohdius profectus est ut Lucii libros irridendi causa Asinum conscriptum esse demonstraret, qua in re miror iudicium viri doctissimi, quod nunc etiam tenet. Nam quod Photium his verbis significare putavit, „die Differenz im Ton des Ganzen“ (pag. 5 libelli supra laudati), de eo ne egisse quidem ille mihi videtur. Non dicit *σκώπτων τὰ τοῦ ὄνου διηγεῖται* (quod si voluisset, errasse eum nobis quoque perspicere liceret), sed *σκώπτων τὸν λόγον συνέταττεν*, non de narrandi ratione aliquid tradidit, sed de scriptoris in componendo libello consilio. De consilio autem scriptoris poterat sane iudicare e narrandi genere, sed re vera non ex huius rei observatione eum argumentum sumpsisse sed ex aliorum operum Lucianeorum comparatione ipse

significat addens illud ὥσπερ κἀν τοῖς ἄλλοις. Photius igitur, cum utroque libro res fabulosas tradi videret, quaesivit, quod nunc etiam in libris solius delectationis causa conscriptis admodum perverse quaerere solent, utrum scriptores illi res a se narratas veras esse crediderint necne. De Lucio non dubitavit[1]), contra Lucianum sciebat aliis libellis contra suae aetatis superstitionem pugnasse, Verae historiae libros totos in scriptorum res non veras tradentium irrisionem composuisse, similique modo etiam Asini rationem explicavit. Argumenta in ipso libello aut eius cum Lucii libris comparatione posita quibus hanc sententiam firmaret aut non habebat aut certe non indicavit. Testimonium igitur quo nititur Rohdius (ita tamen nititur ut non nihil ab eo discedat; nam non tam gentilium superstitionem, ut voluit Photius, quam ipsos Lucii libros ab Asini scriptore perstringi putat), hoc re vera nullum est, sed est coniectura ducta ex ipso libello, qui nunc etiam extat, et e ceteris opusculis Lucianeis, quae nobis quoque liceret adhibere, nisi nihil eorum comparationem ad hanc quaestionem conferre constaret.

Asinus epitome est librorum primi et alterius metamorphoseon, quas a Lucio Patrensi scriptas esse Photius credidit[2]), et quaeri potest qua ratione in excerpendi

---

[1]) Fieri poterat ut Lucius sive initio operis sive data occasione vera esse ea quae narraturus esset quamvis mira profiteretur, sed Photium huius generis locum ab epitomatore omissum respexisse ubi Lucium de rebus illis superstitiosis non dubitasse exponit (ut voluit Buergerus pag. 10 et 30), minime certum mihi videtur.

[2]) Neque est quod de hac re dubitemus; nam quod Lucius de se ipso talia tradit qualia hic de asino narrantur, mirum potest alicui videri, sed huius generis ratiocinationibus non multum efficitur, qua de re nunc rectius quam olim Rohdius iudicavit (Mus. Rhen. vol. 40 pag. 95). Mihi non hoc solum certum videtur sed etiam scriptorem in integro Asino, fortasse in ceteris quoque metamorphoseon libris, de se suisque fusius exposuisse. Sane Theseus Lucii pater et Salvia mater eiusque cum Plutarchi Sextique philosophi familia affinitas nunc non occurrunt nisi apud Apuleium (I, 2; I, 23; II, 2), sed prorsus simili

negotio epitomator versatus sit. Qua in quaestione nullius omnino momenti est (quamquam video et Rohdium et Goldbacherum huic rei aliquid tribuere), quod Photius Lucianum libros duos in unum contraxisse tradit. Epitomatorem enim minime probabile est umquam de edendo libro quem contrahendo effecerat cogitasse, sed in suum usum videtur transtulisse quae ei placebant ceteris breviter significatis. Excedit autem libellus non nihil Lucianeorum quidem librorum plerorumque modum proximeque accedit ad Veram historiam in duos libros divisam [1]), ut nihil obstet quo minus, quod per se probabile est, non ita multa omisisse librarium credamus. Aliter iudicavit Goldbacherus, qui eorum quae apud Apuleium leguntur et a graeco libello aliena sunt magnam partem in Lucii metamorphoseon libris fuisse contendit. Atque hoc quidem recte contra Rohdium posuit, Apuleium non Asinum qui nunc extat sequi sed Lucii metamorphoseon libros; quamquam enim ubi non plena est Asini narratio raro licet Apuleium comparare, tamen ter saltem (Luc. 17 = Apul. III, 29; Luc. 24 = Apul. VI, 29; Luc. 38 = Apul. VIII, 30) apparet pleniore narratione Apuleium usum esse, quod autem aliis locis vel in singulis cum Asino conspirat, optime convenit cum Photii testimonio quo Lucianum Lucii libros *αὐταῖς τε λέξεσι*

consilio Lucius commemoraverat Decrianum Patrensem sophistam (Asin. 2, pag. 348) et de patre, de se ipso, de fratre vate et elegiarum poeta egerat cap. 55 (pag. 377, 21), quem locum epitomator videtur depravasse. Nam hoc loco de quoquam alio praeter eum qui hanc ipsam fabulam conscripsit agi aut ullum hic apparere irrisionis vestigium sive apud huius Asini scriptorem sive apud ipsum Lucium Patrensem, ad quem irridendi illud consilium transtulit Buergerus (pag. 57), pro certo negare audeo. Diltheii sententiam in oratione Gottingensi anni 1879 prolatam de Apuleio utrarumque metamorphoseon, graecarum et latinarum, auctore cur probare non possim ex iis quae exposui satis apparet.

[1]) Cfr. numeros a Birtio collectos (Das antike Buchwesen pag. 295 et 338). Lucii libri singuli fortasse Apuleii librum primum (ibidem pag. 296) non multum superabant.

καὶ συντάξεσιν expressisse tradit. Quamquam igitur ex eodem fonte sumpti sunt et Apuleii libri et Asinus graecus, tamen certo dici potest graecum libellum in summa re idem continere quod erat in duobus Lucii libris, fabulas omnes quas Apuleius solus habet a Lucii quoque libris alienas fuisse. Quod enim interest inter Apuleii et graeci libelli narrationem, hoc non solum in narrandi genere conspicitur sed pertinet etiam ad rerum inventionem. Contra si partem, ut voluit Goldbacherus, eorum quae Apuleius narrat solus, Lucii libris tribuimus, longe aliter de eius consilio et ratione iudicandum esset quam ex Asino iudicari potest. Cum igitur Apuleium Lucii libris alias fabulas inseruisse ne Goldbacherus quidem neget, omnia ea recte ei tribuemus quae non certissimis argumentis in Lucii libris fuisse evincitur; hoc autem Goldbacherus cum utrumque opus accurate inter se conferret numquam praestitisse mihi videtur [1]. Totam rem pertractare longum est neque necessarium, cum narrationis Apuleianae, scelerum et prodigiorum plenae, indicia satis aperta sint, et vereor ne satis superque iam *περὶ ὄνου σκιᾶς* pugnatum sit, non tamen fortasse prorsus inutiliter, si quidem quid illa etiam aetate Graecis quid Romanis lectoribus in hoc narrandi genere placuerit e Lucii Patrensis et Apuleii exemplo disci potest.

[1] De ultima metamorphoseon parte contra miram Goldbacheri sententiam recte disputavit Rohdius (Mus. Rhen. vol. 40 pag. 78). In ceteris quoque Goldbacheri argumenta refutare non nimis difficile esset, et recte non nulla huius generis passim Buergerus exposuit.

Index rerum.

Lewent'sche Buchdruckerei in Berlin.